BENEDICTIONALE

CONSTANTIENSE.

BIBERACI,

SUMTIBUS FRIDERICI HALLER, LIBRARII.

MDCCCLVI.

BENEDICTIONALE CONSTANTIENSE,

JUSSU ET AUTHORITATE

CELSISSIMI ET REVERENDISSIMI

DOMINI DOMINI

MAXIMILIANI CHRISTOPHORI,

DEI GRATIA

EPISCOPI CONSTANTIENSIS,

S. R. I. PRINCIPIS etc. etc.

JUXTA NORMAM RITUALIS ROMANI

REFORMATUM, APPROBATUM ET EDITUM.

DENUO IMPRESSUM

CUM LICENTIA

REVERENDISSIMI ORDINARII,

DOMINI DOMINI

JOSEPHI,

PER MISERICORDIAM DEI ET SEDIS APOSTOLICAE GRATIAM

EPISCOPI ROTTENBURGENSIS.

BIBERACI,

SUMTIBUS FRIDERICI HALLER, LIBRARII.

DMCCCLVI.



~~7440 C840~~
B/L
A. 7088.

NOS

MAXIMILIANUS CHRISTOPHORUS,

D. G. EPISCOPUS CONSTANTIENSIS,

S. R. I. PRINCEPS, DOMINUS AUGIAE MAJORIS, ET OENINGAE, INCLYTI ORDINIS S. JOANNIS HIEROSOLYMIT. BAJULIVIUS, ET PROTECTOR,

etc. etc.

Universo Clero tam sæculari, quam regulari, exempto et non exempto totius Diœcesis Nostræ Constantiensis, Salutem et Gratiam Nostram cum subscriptorum Notitia, et Mandatis Nostris obedientiam adhibere fidelem et exactam.

Sancta Mater catholica Ecclesia, filiorum suorum bono spirituali aeque, ac temporali jugiter invigilans, pro illorum sanctificatione, et conservatione non tantum sanctissima, et pretiosissima Sacramenta a Christo Domino Sponso

suo accepit, variasque praeterea ordinavit Orationes perquam efficaces; verum etiam animadvertens, versutissimum humani generis hostem diabolum hominum spirituali, et corporali saluti circa res quoque temporales eorum usui necessarias, multifariam, multisque modis insidiari, diversas insuper Benedictiones, Precationes, et Exorcismos sacerdotales solicite praescripsit, ad omnem infestissimi inimici potestatem enervandam, salutemque populorum in quiete, ac felici statu conservandam, tuendamque.

Quapropter in Sacerdotum Consecratione, Spiritu sancto dictante, fieri cernimus, quod, dum illorum manus sacro Oleo ab Episcopis inunguntur, potestas eisdem tradatur, et conferatur, ut, quidquid benedixerint, benedicatur, et quidquid consecraverint, consecretur, et sanctificetur.

Sic quoque S. Paulus I. Timoth. 4. omnem creaturam per verbum, et orationem (Sacerdotum videlicet ex institutione Ecclesiae) sanctificari affirmavit. Magna certe dignitas Sacerdotum, et magna fidelium consolatio!

Quemadmodum vero aliis rebus sacris saepius abuti solet humana improbitas, ita pariter,

attestante multiplici experientia, Benedictiones quandoque vertit in maledictiones, precationes in praestigias, et Exorcismos in execrationes.

Ad tollendos proinde hac in re abusus qualescunque, et praebendam sufficientem tam Benedictionum, quam Exorcismorum copiam in hoc novo Benedictionali, adinstar Ritualis Nostri juxta Normam, et Ritum Romanum reformato, formulas eorundem notabiliter augmentari, et pro diversis necessitatibus, seu occasionibus in unum colligi jussimus ita, ut omnia alia Benedictionalia, in quantum a Nostro sunt diversa, in Diœcesi Constantiensi deinceps abrogata, et Benedictiones, seu Exorcismos, modosque benedicendi, et exorcizandi alios, nisi specialiter a Nobis recogniti, seu approbati fuerint, hisce sub poena Suspensionis ipso facto incurrendae omnino prohibitos expresse declaremus; mandantes insuper

I. Ut sub eadem poena nullus Clericus, sive Saecularis, sive Regularis extra proprium districtum Benedictiones, vel Exorcismos sine praevia Parochi licentia exercere praesumat.

II. Ut nullibi a Parochis permittatur, sive toleretur usus aliarum rerum benedictarum,

quam quae juxta Ritum Ecclesiae, vel ex praescripto hujus Benedictionalis fuerint benedictae.

III. Ut effectus Benedictionum tam in Catechesi, quam in Concionibus diligenter explicentur, simulque moneantur fideles, dictos effectus ab ipsorum etiam devotione, cordis contritione, fide, ac fiducia erga Deum dependere.

IV. Denique, ut sub gravi poena nobis arbitraria, pro Benedictionibus, et Exorcismis ultra id, quod vel rationabili consuetudine introductum est, vel a fidelibus sponte offertur, nihil unquam sordide exigatur. Datum in Residentia Nostra Marisburgi die xjx. Januarii, Anno MDCCLXXXI. Indict. xjv.

MAXIMILIANUS
CHRISTOPHORUS,
EPISCOP. CONSTANT.

(L. S.)

INDEX, ET ORDO RERUM,

QUAE

IN HOC BENEDICTIONALI LIBRO

CONTINENTUR.

SECTIO I.

OBSERVATIONES, ET INSTRUCTIONES

DE BENEDICTIONIBUS IN GENERE.

pag.

I. Quid, et quotuplex sit Benedictio. 1

II. De effectibus Benedictionum, et unde suam vim seu virtutem, et efficaciam habeant. 2

III. De Benedictionum duratione, et repetitione. 4

IV. Cautelae Benedicentis. 5

V. De Benedicentis Vestibus, et aliis Requisitis. 6

VI. Ordo, et Modus benedicendi. 6

VII. Instructio populi de fine et utilitate rerum ad usum fidelium benedictarum, nec non de debita utentium dispositione, ac legitimo usu. 7

SECTIO II.

BENEDICTIONES ORDINARIAE

PER ANNUM.

I. Benedictio aquae lustralis in Dominicis. 11

II. Benedictio domorum in Vigilia Nativit. Domini. 16

pag.

III. Benedictio vini in Festo S. Joannis Evangelist. 18
IV. Benedictio domorum in Profesto Circumcisionis. 23
V. Benedictio domorum in Vigilia Epiphaniae. 24
VI. Benedictio aquae trium Regum in Vigilia, seu Festo Epiphaniae. 25
VII. Benedictio candelarum in Festo Purificationis B. M. V. ut in Missali. 51
VIII. Benedictio panis, vini, vel aliorum esculentorum, aut poculentorum, in Festo S. Blasii. 51
IX. Benedictio Collorum, eodem die in honorem S. Martyris. 53
X. Benedictio panis, fructuum, aquae, vini, candelarum, in Festo S. Agathae. 54
XI. Benedictio Cinerum, feria quarta in capite Jejunii, ut in Missali. 56
XII. Benedictio Ramorum Dominica Palmarum, ut in Missali. 56
XIII. Benedictio novi ignis, quinque granorum, et Cerei Paschalis in Sabbatho sancto, ut in Missali. 57
XIV. Benedictio domorum in Sabbatho sancto Paschae. 58
XV. Benedictio Esculentorum in Dominica Paschae. 59
Alia Benedictio carnium. 60
Benedictio ovorum in Paschate. 61
Benedictio ad quodcunque comestibile. 62
XVI. Benedictio equorum, boum, ovium, aut aliorum animalium, gregatim collectorum, in Festo S. Georgii M. aut alterius Sancti, ubi consuetudo viget. 63
XVII. Benedictio tempestatis tempore vernali, et aestivali post Missam. 64

pag.

XVIII. Benedictio tempestatis eodem tempore vernali, et aestivali extra Missam. 67

Exorcismus contra imminentem tempestatem fulgurum, et grandinis. 70

Exorcismus brevior. 74

XIX. Benedictio agrorum, vinearum etc. tempore vernali, et aestivali, in Festo Ascensionis, et aliis temporibus, pro locorum consuetudine. 75

XX. Benedictio quadruplex in Processione Festi Ss. Corporis Christi. 81

XXI. Benedictio Herbarum in Festo Assumptionis B. V. Mariae. 87

XXII. Benedictio Panis in Festo, seu alio die in honorem S. Gebhardi Ep. et Conf. 90

SECTIO III.

BENEDICTIONES EXTRAORDINARIAE PERSONARUM.

I. Benedictio Mulieris post partum. 92

II. Benedictio Mulieris ante partum, vita vel partu periclitantis. 97

III. Benedictio infirmorum in genere. 100

Alia Benedictio infirmorum. 102

IV. Benedictio puerorum, sive infantium, cum primum in Ecclesia praesentantur a parentibus. 104

V. Benedictio prolis infirmae. 107

VI. Benedictio peregrinorum, seu ad loca sacra prodeuntium. 108

VII. Benedictio peregrinorum post reditum. 111

VIII. Benedictio Neo-Mystae, seu novi Sacerdotis super unum, vel plures. 112

SECTIO IV.

BENEDICTIONES EXTRAORDINARIAE

RERUM AD USUM SACRUM.

pag.

I. Benedictio simplex Crucis. 113

II. Benedictio simplex Imaginum JEsu Christi, B. Virginis, et aliorum Sanctorum. 114

III. Benedictio Medaliorum, seu Numismatum, signorum Confraternitatis etc. 115

IV. Benedictio Rosariorum Confraternitat. Rosarii. 117

V. Ordo benedicendi, et recipiendi Scapulare B. V. M. de monte Carmelo. 118

VI. Benedictio Cilicii, Cinguli, vel alterius indumenti ad poenitendum. 123

VII. Benedictio Vexilli Ecclesiastici pro Templis et Processionibus. 124

VIII. Benedictio Metalli ad conflandam Campanam. 125

IX. Benedictio Candelarum, extra diem Purificationis B. V. Mariae. 127

X. Benedictio Candelae pro Moribundis. 128

XI. Benedictio Thuris, seu Incensi pro fumigatione contra maleficia. 129

Alia Benedictio Thuris, seu incensi. 130

XII. Benedictio aquae Baptismalis extra Sabbathum sanctum, vel Vigiliam Pentecostes. 131

XIII. Benedictio novi Baptisterii, seu lapidis fontium. 131

XIV. Benedictio Cerei Paschalis extra Sabbathum sanctum, si aliquo casu defecerit. 132

SECTIO V.

BENEDICTIONES EXTRAORDINARIAE

RERUM PRO USU NON SACRO.

I. Benedictio panis quocunque tempore facienda. 133

Alia Benedictio panis. 134

pag.

II. Benedictio olei simplicis. 135
III. Benedictio herbarum quocunque tempore facienda. 136
IV. Benedictio fructuum in genere. 137
V. Benedictio ad quodcunque comestibile, vel potabile, quovis tempore. 137
VI. Benedictio Medicinae cujusvis pro hominibus. 138
VII. Benedictio animalium contra pestem, seu infirmitatem. 139
VIII. Benedictio Salis, vel Medicinae pro animalibus. 140
IX. Benedictio pabuli animalium. 141
X. Benedictio stabulorum pro equis, bobus, et aliis armentis. 144
XI. Benedictio seminum pro agris seminandis. 145
XII. Benedictio terrae seminatae. 146
XIII. Benedictio communis super fruges et vineas. 146
Alia longior Benedictio communis camporum, alpium, pratorum, pascuorum. 147
XIV. Benedictio agrorum contra noxia animalcula, aves, mures, vermes, serpentes, locustas, fructus terrae vastantes. 150
XV. Benedictio novi Putei. 159
XVI. Benedictio novae navis. 159
XVII. Benedictio domorum quovis tempore facienda cum aspersione aquae benedictae. 160
XVIII. Benedictio Loci in communi. 161
XIX. Benedictio domus novae. 162
XX. Benedictio Thalami. 163
XXI. Benedictio vestimentorum, vel indumentorum, et linteaminum lecti, et similium, mutatis mutandis. 163
XXII. Benedictio contra inundationes aquarum et incendia. 165

pag.

XXIII. Benedictio cujuslibet rei. 166

Alia Benedictio communis cujuslibet rei sub Invocatione alicujus Sancti. 167

SECTIO VI.

BENEDICTIONES A SOLIS EPISCOPIS,

VEL SACERDOTIBUS LICENTIAM PAPALEM, AUT EPISCOPALEM HABENTIBUS FACIENDAE.

I. Benedictio Sacerdotalium indumentorum in genere. 168

II. Benedictio cujuslibet indumenti in specie. 170

III. Benedictio Mapparum, seu Linteaminum Altaris. 171

IV. Benedictio Corporalium, et Pallarum. 172

V. Benedictio Tabernaculi, seu Vasculi, Ciborii, Monstrantiae, vel Lunulae pro sacrosancta Eucharistia conservanda. 173

VI. Benedictio novae Crucis, publice et solenniter erigendae. 174

VII. Benedictio Imaginum JEsu Christi Domini nostri, B. V. Mariae, et aliorum Sanctorum publice ac solenniter erigendarum. 178

VIII. Benedictio sacrorum Vasorum, et aliorum Ornamentorum in genere. 179

IX. Benedictio Vasculi, aut Capsae sacrarum Reliquiarum. 180

X. Ritus benedicendi, et imponendi primarium lapidem pro Ecclesia aedificanda. 181

XI. Ritus benedicendi novam Ecclesiam, seu Oratorium publicum, ut ibi sanctiss. Missae Sacrificium celebrari possit. 188

XII. Benedictio Oratorii privati. 194

XIII. Ritus reconciliandi Ecclesiam violatam, si nondum erat ab Episcopo consecrata. 197

pag.

XIV. Ritus benedicendi novum Caemeterium per Sacerdotem ab Episcopo delegatum. 202

XV. Ordo reconciliandi Caemeterium violatum, sive Ecclesiae contiguum sit, sive separatum, ubi Ecclesia non est pollata. 205

XVI. Benedictio signi, seu Campanae, omissis unctionibus. 207

XVII. Benedictio Vexilli, seu Signi bellici. 225

XVIII. Benedictio Ensis, seu Gladii. 226

XIX. Benedictio armorum in communi. 227

SECTIO VII.

OBSERVATIONES, SEU INSTRUCTIONES DE EXORCISMIS IN GENERE.

I. Quid, et quotuplex sit Exorcismus. 229

II. Exorcistae qualitates. 230

III. Cautelae Exorcistae. 231

IV. Signa Obsessorum. 233

V. Praecepta Exorcistae. 234

VI. Deceptiones daemonis in obsessis. 237

VII. Locus et tempus exorcizandi. 238

VIII. Modus procedendi cum Energumenis eorumque dispositio ad exorcizandum. 239

IX. Modus exorcizandi. 242.

X. Praxis disponendi Energumenum ad firmam spem, et fiduciam. 243

SECTIO VIII.

ORDO TRIPLEX EXORCIZANDI OBSESSOS A DAEMONIO.

I. Ordo exorcizandi Obsessos ex Rituali Romano. 244

II. Ordo brevior exorcizandi Obsessos a daemonio. 260

III. Ordo brevissimus exorcizandi in defectu temporis. 266

SECTIO IX.

OBSERVATIONES SEU INSTRUCTIONES
DE MALEFICIIS.

pag.

I. Quid, et quotuplex sit Maleficium. 267
II. Signa Maleficiatorum. 268
III. Curatio seu remedia Maleficiorum. 270

SECTIO X.

BENEDICTIONES ET EXORCISMI
CONTRA MALEFICIA.

I. Benedictio et Exorcismus Maleficiatorum in genere. 272
II. Benedictio et Exorcismus parvulorum, seu infantium maleficiatorum. 275
III. Benedictio, et Exorcismus Conjugum maleficio impeditorum. 278
IV. Benedictio, et Exorcismus domus a malis spiritibus vexatae. 283
V. Benedictio, et Exorcismus animalium maleficiatorum. 292
VI. Benedictio, et Exorcismus Lacticiniorum etc. maleficiatorum. 296

SECTIO ULTIMA.

DE REMEDIIS ADHIBENDIS
POST LIBERATIONEM ENERGUMENI, VEL MALEFICIATI.

300

APPENDIX.

Litaniae de omnibus Sanctis. 302
Evangelium I. S. Matthaei. 310
Evangelium II. S. Marci. 312
Evangelium III. S. Lucae. 312
Evangelium IV. S. Joannis. 313

BENEDICTIONALE

CONSTANTIENSE.

SECTIO IX.

OBSERVATIONES SEU INSTRUCTIONES
DE MALEFICIIS.

pag.

I. Quid, et quotuplex sit Maleficium. 267
II. Signa Maleficiatorum. 268
III. Curatio seu remedia Maleficiorum. 270

SECTIO X.

BENEDICTIONES ET EXORCISMI
CONTRA MALEFICIA.

I. Benedictio et Exorcismus Maleficiatorum in genere. 272
II. Benedictio et Exorcismus parvulorum, seu infantium maleficiatorum. 275
III. Benedictio, et Exorcismus Conjugum maleficio impeditorum. 278
IV. Benedictio, et Exorcismus domus a malis spiritibus vexatae. 283
V. Benedictio, et Exorcismus animalium maleficiatorum. 292
VI. Benedictio, et Exorcismus Lacticiniorum etc. maleficiatorum. 296

SECTIO ULTIMA.

DE REMEDIIS ADHIBENDIS
POST LIBERATIONEM ENERGUMENI, VEL MALEFICIATI.

300

APPENDIX.

Litaniae de omnibus Sanctis. 302
Evangelium I. S. Matthaei. 310
Evangelium II. S. Marci. 312
Evangelium III. S. Lucae. 312
Evangelium IV. S. Joannis. 313

BENEDICTIONALE

CONSTANTIENSE.

SECTIO I.

OBSERVATIONES,

SEU

INSTRUCTIONES

DE

BENEDICTIONIBUS

IN GENERE.

I.

Quid, et quotuplex sit Benedictio.

Benedictio Ecclesiastica est actio religiosa, per quam ritibus et precibus ab Ecclesia praescriptis seu approbatis, res aut personae divino cultui destinantur vel a Deo, sive rebus sive personis imploratur divinum auxilium; hinc ex fine intrinseco Benedictionum duplex est illarum differentia.

Aliae nimirum Benedictiones sunt constitutivae, aliae invocativae; Constitutivae dicuntur, per quas sive

res sive personae sanctificantur, ut divino cultui inserviant, v. g. Benedictio vestium Sacerdotalium, Mapparum altaris, Corporalium etc. Invocativae vero sunt, per quas a Deo sive rebus sive personis divinum auxilium imploratur, quales sunt Benedictio Agni in Paschate, Ovorum etc.

Aliae insuper Benedictiones dicuntur Papales, seu fieri solitae a solo summo Pontifice, qualis est Benedictio sic dictorum agnorum Dei ex cera alba (*a*); aliae Episcopales, quae a solis Episcopis, vel a Sacerdotibus licentiam Papalem, aut Episcopalem habentibus fieri possunt, ut in hoc Benedictionali suo loco notabitur; aliae Benedictiones denique sunt Sacerdotales, quae cuilibet Sacerdoti communes sunt.

(*a*) Agni Dei sic nominantur ab imagine Christi in figura agni super illis communiter expressa, erantque olim donum solis Imperatoribus, Regibus, et Principibus a summo Pontifice mitti solitum, qui magna semper reverentia illud susceperunt, et summo in pretio habuerunt.

Quia sacro Chrismate delibuti sunt, monere oportet Laicos, ut eosdem non immediate attingant, nisi adsit rationabilis causa, v. g. ut imponant capsulae etc.

II.

De Effectibus Benedictionum, et unde suam vim, seu virtutem, et efficaciam habeant.

Effectus Benedictionum in genere praecipui sunt 1. Remissio peccatorum venialium. 2. Collatio gratiarum excitantium, seu praevenientium. 3. Remissio poenarum. 4. Expulsio, vel compressio daemonum. 5. Denique operatio sanitatum, et similium donorum temporalium.

Non tamen omnes Benedictiones, aut res benedictae omnes praedictos effectus operantur, sed aliquos ex illis, plures, vel pauciores secundum Ecclesiae institutionem, quod ex formulis singularum Benedictionum, earumque ritibus, et precibus, quibus constant, colligendum, et conformiter Decreto Episcopali huic Benedictionali praefixo Christi fidelibus tam in Concionibus, quam in Catechesi diligenter explicandum est.

Sic nominatim supra dictae Cerae Papales, ut patet ex formula Benedictionis in Caeremoniali Papae, magnam vim seu efficaciam habent contra plurima mala, praecipue autem contra fulgura, et tempestates, contra incendia, et naufragia, contra pericula parturientium mulierum, contra repentinam mortem, et ad repellendas diabolicas fraudes, insidias, atque tentationes.

Operantur autem Benedictiones effectus suos ex communi sensu DD. non semper, et infallibiliter, sed per modum impetrationis ex meritis ipsius Ecclesiae, a qua consequenter suam vim seu virtutem, et efficaciam praecipue accipiunt (*b*).

Unde Sacerdos iis, qui Benedictionem hujusmodi petunt, certitudinem effectus non promittat, sed potius rei eventum a divina voluntate, et NB. petentium quoque devotione, cordis contritione, et fide, ac spe, seu fiducia in Deum pendere ostendat.

(*b*) Falluntur itaque, aliosque fallunt, qui neglectis Benedictionibus ab Ecclesia praescriptis, seu approbatis pro suo arbitrio privatas sibi affingunt, aut conquirunt Benedictionum formulas, modosque benedicendi, cremandi, inepte fumigandi, defodiendi in terram etc. vel qui Benedictiones, aut res benedictas superstitiose ad alios NB. fines, seu effectus, v.g. aquam baptismalem, vel reliquias SS. Oleorum ad curationem mor-

borum, et maleficiorum detorquere solent, quam ad quos ab Ecclesia Dei ordinatae, seu institutae sunt.

Hujusmodi abusus manifeste repugnant generali regulae, seu doctrinae Theologorum de Benedictionibus ex D. Thoma 2. 2. q. 93. in fine. ***Quod fit praeter Dei, et Ecclesiae institutionem, vel contra consuetudinem communem (quae habet vim legis) totum hoc superfluum, et superstitiosum reputandum est.*** Quodsi exinde aliquando sequatur effectus, adscribendus est arti diabolicae ex tacita daemonis invocatione, ut communiter docent DD. in Tract. de Superst.

Quomodo Benedictiones supra dictos quinque effectus speciatim operentur, cum variis mysteriis, et documentis fuse explicat Quarti in praeclaro libro seu tractatu de sacris Benedictionibus *tit. 1. sect. 5.* agendo de singulis in particulari.

III.

De Benedictionum duratione, et repetitione.

Res benedictae Benedictione constitutiva tamdiu retinent Benedictionem, seu illud esse sacrum per Benedictionem adeptum, quamdiu in eis durat dispositio vel naturalis, vel artificialis necessario ab Ecclesia in eis praescripta ad Benedictionem; cessante autem tali dispositione hoc ipso etiam cessat Benedictio, adeoque res illae haud amplius censendae sunt sacrae (*c*).

Hinc res benedictae Benedictione constitutiva, quamdiu durat prior Benedictio, non possunt iterum benedici simili Benedictione, utpote quae nullum haberet effectum, et sic nugatoria, seu frustratoria esset.

Benedictiones autem mere invocativae iterum, et saepius replicari possunt super eadem re; cum enim Benedictio invocativa solum consistat in deprecatione, qua imploratur divina protectio in utilitatem fidelium,

sicut potest saepius repeti eadem oratio, ita etiam haec Benedictio.

(*c*) Si frangantur Agni Dei, seu Cerae albae a Pontifice benedictae, non amittunt Benedictionem, quia haec cadit supra materiam, non supra formam, quae pro ornatu additur, ut expresse declaravit Urbanus Papa V. missis hujusmodi Agnis cereis ad Imperatorem Graecorum.

IV.

Cautelae Benedicentis.

Noverit inprimis Sacerdos, quarum rerum Benedictiones ad ipsum, et quae ad Episcopum suo jure pertineant, ne majoris dignitatis munera temere, aut imperite unquam usurpet propria auctoritate (*d*).

Attendat praeterea, ne quid incaute benedicat, quo ad pravos, aut superstitiosos usus aliquem abusurum esse merito suspicari possit, atque ideo, quando res postulabit, petentis animum, et intentionem diligenter exploret.

Caveat denique, ne Benedictionis causa ponat aliquid indecens super Altare, velut esculenta etc. Sed, quod ejusmodi est, ponatur super mensam, vel in Sacristia, vel prope Altare ad Cornu Epistolae, ubi fieri debent Benedictiones, semper tamen pro ratione eorum, quae benedicuntur.

(*d*) Quamvis Benedictiones Sacerdotales communes sint cuilibet Sacerdoti, eas tamen extra proprium districtum exercere sine praevia Parochi licentia impermissum est. Videatur supra decretum Episcopale huic Benedictonali praefixum.

V.

De Benedicentis vestibus, et aliis Requisitis.

In omni Benedictione extra Missam Sacerdos superpelliceo, et stola, vel extra Ecclesiam saltem stola pro ratione temporis, vel festi utatur, nisi aliter in Missali, et hoc Benedictionali notetur (*e*).

Cum aliquid benedicturus est, praeter candelam ceream accensam habeat Ministrum cum vase aquae benedictae, aspergillo, et dicto libro Benedictionali, seu Missali.

Stando semper benedicat, et aperto capite, librum manu tenens, vel si alius teneat, aut ante se repositum habeat, junctis ante pectus manibus, etiam ad orationes, et praefationes, nisi ad crucis notam rem benedicat, formando crucem manu dextra, digitis omnibus conjunctis, et directe extensis nec ultra humeros elevatis.

(*e*) In Benedictionibus, nulli certo tempori, aut festo, vel Sancto propriis, color albus plerumque adhibetur, nisi Benedictio sit conjuncta cum Exorcismo, quo casu congrue adhibetur color violaceus.

VI.

Ordo, et Modus benedicendi.

In omni Benedictione Sacerdos dicit ℣. *Adjutorium* ✝ *nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit coelum et terram.* ℣. *Domine exaudi orationem meam. etc.* ℣. *Dominus vobiscum etc. Oremus.* Deinde dicatur Oratio propria, una, vel plures, prout suo loco notatum fuerit. Subinde plures hae Orationes inter se uniuntur, et sine *Oremus*

dicuntur; subinde tamen, et plerumque clauduntur, et sequens cum *Oremus* inchoatur.

Postea rem aspergat aqua benedicta, nihil dicendo, et cum aspergillo unam duntaxat crucem ducendo, nisi multitudo rerum benedicendarum trinas postulet (*f*); ubi denique notatum fuerit, videlicet in Benedictione solenni, pariter incenset modo subscripto (*g*).

(*f*) Hoc signum crucis non debet fieri per modum circuli, sed in figura quadrangulari dextram in medio sursum porrigendo, inde quasi recta lineam ducendo deorsum, et demum transversalem extendendo a sinistro ad dextrum latus.

(*g*) Incensatio fit per tres cum thuribulo ductus, primum in medio, secundum a dextra, tertium a sinistra rei versus eandem rem benedicendam faciendo.

VII.

Instructio populi de fine et utilitate rerum ad usum fidelium benedictarum, nec non de debita utentium dispositione, ac legitimo usu.

Ut fideles non solum dignam de rebus benedictis concipiant aestimationem, sed etiam salutares ex earum usu consequantur effectus, de illarum fine, utilitate, debita animi dispositione, et legitimo usu diligenter instrui debent.

Finis itaque generalis, ob quem communiter Ecclesia diversas res ad usum fidelium benedicere solet, est salus populi tam spiritualis, quam corporalis; hanc praecipue promovere ac conservare intendit praebendo fidelibus tutamen ac remedia adversus multifarias diaboli, infensissimi humano generi hostis, insidias, queis hic continuo tum animarum, tum corporum saluti nocere

contendit, tentando homines sive interne ad peccandum sive externe diversis malis divexando, quam ob causam ad assiduam vigilantiam gravissimis verbis nos adhortatur Beatus Petrus Apostolus dicens: *Sobrii estote, et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quaerens, quem devoret, cui resistite fortes in fide* (*h*).

Non est tamen, cur credentes in Christum multum formidemus ab infernali inimico; ex una enim parte, quantacunque sit ejus potentia et pertinacia, nec tamen quantum, aut quamdiu vult, tentare nos aut vexare potest, sed omnis ejus potestas a Dei nutu et permissione dependet; ex altera vero parte Dominus ac Salvator noster JEsus Christus, qui in hunc mundum venit, ut dissolveret opera diaboli, et nos ex ejus potestate eriperet, per crucem et passionem suam nobis efficacissima promeruit et suppeditavit remedia gratiarum ad resistendum diaboli tentationibus tam internis, quam externis, omnemque ejus nocendi vim sive impediendam, sive propulsandam.

Praeterea non solum omnes, qui in se crediderint, in nomine suo daemonia ejecturos affirmavit, verum etiam multo ampliorem potestatem reliquit Sponsae suae Ecclesiae catholicae, quam in Apostolis fundavit; *Dedit enim illis* Luc. c. 9. *virtutem et potestatem super omnia daemonia, et ut languores curarent, et misit illos praedicare regnum Dei, et sanare infirmos.* Quae potestas Ecclesiae usque ad consummationem duraturae attributa existimanda est, sicut caetera Christi beneficia, quae talia sunt, ut semper ad hominum incolumitatem et salutem tutandam utilia et necessaria sint, etiam nunc in Ecclesia durare, et ad finem usque duratura sine dubio creduntur.

Quapropter Ecclesia tanquam sollicita Mater salem, aquam, herbas, et res alias multas in usum hominum Exorcismis et Orationibus praeparat, ut sint ad arcendas daemonum insidias, ad morbos pellendos, et ad omnia incommoda, quae hominum incolumitati inimica sunt, avertenda efficaces.

Utilitas rerum benedictarum tum ex mox dictis tum ex effectibus supra §. II. memoratis facile colligitur.

Dispositio autem ad certius consequendos hos effectus requisita consistit in eo, ut 1. fideles ab omni peccato saltem gravi sint immunes, huncque in finem poenitentia, ac seria peccatorum detestatione sese praeparent; quemadmodum enim ipsa Sacramenta ex se alias efficacia, non conferunt gratiam ponentibus obicem; ita ordinarie nec a Sacramentalibus, seu rebus benedictis effectum sperare possunt, qui per peccatum grave diaboli laqueis voluntarie manent irretiti, et divinis beneficiis consequendis se reddunt indignos.

2. Ut viva fide, et firma fiducia sint praemuniti, ob oculos sibi ponentes infinitam Dei in dictis veracitatem, inexhauribilem quaecunque sive faciendi, sive concedendi potentiam, et summam in servandis suis promissis fidelitatem, qua certi reddimur, quod preces Sponsae suae Ecclesiae in Benedictione ejusmodi rerum fusas et adhibitas indubie sit exauditurus, quatenus ea, quae petuntur, ad salutem nostram conducant (*i*).

3. Ut in ipso usu vel applicatione rerum benedictarum cum Orationibus Ecclesiae, quae ejusmodi rebus moraliter inhaerent, etiam suas preces uniant; et juxta monitum S. Pauli Apostoli ad Coloss. 3. v. 17. omnia agant *in Nomine Domini nostri JEsu Christi,* fir-

miter sperantes fore, ut virtute sanctissimi hujus Nominis, quod est Nomen super omne Nomen, et in quo omne genu coelestium, terrestrium et infernorum flectitur, ab omnibus molestiis infernalis inimici liberentur: et quidquid in hoc Nomine rite petierint, a coelesti Patre procul dubio consequantur.

Legitimus denique usus rerum benedictarum exigit, ut 1. fideles eas in loco decenti reponant, et religiose custodiant. 2. Ut iis non utantur ad alios fines, quam ad quos ab Ecclesia specialiter ordinatae, seu institutae sunt. 3. Ut sibi caveant ab omni specie superstitionis sive in intentione, sive opere committendae, cujusmodi v. g. sunt, si effectus, ad quos res illae per verbum Dei et Orationem ordinatae sunt, ipsis rebus corporalibus, et non virtuti divinae, quae tales effectus sola operatur, tribuant: si observent certa tempora, vel certa temporis intervalla: si certum numerum rerum benedictarum necessarium esse judicent, et adhibeant: si determinatas quasdam preces ab Ecclesia nec praescriptas nec approbatas, aut ritus vel ceremonias ejusmodi adjungant: si res non benedictas rebus benedictis admisceant: si sumant, aut deglutiant res non comestibiles aut potabiles v. g. grana rosarii, cretam, schedulas etc. vel alia his similia a mente Ecclesiae aliena agant, aut observent; a quibus proin fideles efficaciter sunt dehortandi.

(*h*) Inexplebilem diaboli cupiditatem et assiduum hominibus nocendi studium ac potestatem late exponit Catechismus Romanus L. 4. *de Oratione Dominica.* c. 18. et infra c. 19. sequentibus verbis: malus quoque dicitur daemon ob eam causam, quod, etsi nihil eum laeserimus, tamen perpetuum nobis bellum infert, et capitali nos insectatur odio, quodsi nobis fide armatis, et innocentia tectis nocere non potest, tamen nullum

finem facit tentandi nos externis malis, et quacunque potest ratione divexandi.

(*i*) Necessitas firmae fidei et fiduciae manifeste colligitur ex Epistola S. Jacobi Apostoli, ubi ait: ***Postulet autem in fide nihil haesitans, qui enim haesitat — — — non aestimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino.*** Quia autem fides et fiducia sunt donum Dei, etiam pro illius concessione et augmento humiliter orare oportet. Quare monet Catechismus Romanus c. 9. de Oratione his verbis: Quodsi titubant interdum, nec se satis esse firmos in fide sentiunt, utantur illa voce Apostolorum: ***Domine adauge nobis fidem;*** et caeci illius: ***Adjuva incredulitatem meam.***

SECTIO II.

BENEDICTIONES ORDINARIAE

PER ANNUM.

I.

BENEDICTIO AQUAE LUSTRALIS
IN DOMINICIS.

Diebus Dominicis, et quandocunque opus fuerit, praeparato sale, et aqua munda benedicenda, in Ecclesia, vel Sacristia juxta exemplum Elisaei Prophetae. 4. Reg. 2. *Sacerdos superpelliceo, et stola violacea indutus primo dicit:*

℣. Adjutorium nostrum in Nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum et terram.

Deinde absolute incipit Exorcismum salis:

Exorcizo te creatura salis per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † sanctum, per Deum, qui te per Elisaeum Prophetam in aquam mitti jussit, ut sanaretur sterilitas aquae: ut efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium, et sis omnibus sumentibus te sanitas animae, et corporis; et effugiat, atque discedat a loco, in quo aspersum fuerit, omnis phantasia, et nequitia, vel versutia diabolicae fraudis, omnisque spiritus immundus adjuratus per eum, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

Oremus:

Immensam clementiam tuam, omnipotens aeterne Deus, humiliter imploramus: ut hanc creaturam salis, quam in usum generis humani tribuisti, bene†dicere, et sancti†ficare tua pietate digneris: ut sit omnibus sumentibus salus mentis, et corporis: et, quidquid ex eo tactum, vel respersum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione spiritualis nequitiae. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum etc. ℣. Amen.

EXORCISMUS AQUAE,

Qui dicitur absolute sine Oremus.

Exorcizo te creatura aquae in nomine Dei † Patris omnipotentis, in nomine JEsu † Christi Filii ejus Domini nostri, et in virtute Spiritus † sancti: ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, et ipsum inimicum eradicare, et explantare valeas cum angelis suis apostaticis. Per virtutem ejusdem Domini nostri JEsu Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

Oremus:

Deus, qui ad salutem humani generis maxima quaeque Sacramenta in aquarum substantia condidisti: adesto propitius invocationibus nostris, et elemento huic multimodis purificationibus praeparato virtutem tuae Bene†dictionis infunde; ut creatura tua, mysteriis tuis serviens, ad abigendos daemones, morbosque pellendos divinae gratiae sumat effectum: ut, quidquid in domibus, vel in locis fidelium haec unda resperserit, careat omni immunditia, liberetur a noxa: non illic resedeat spiritus pestilens, non aura corrumpens: discedant omnes insidiae latentis inimici: et si quid est, quod aut in-

columitati habitantium invidet, aut quieti, aspersione hujus aquae effugiat, ut salubritas per invocationem sancti tui Nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per Dominum nostrum etc. ℟. Amen.

Hic ter mittat sal in aquam in modum crucis dicendo semel: Commixtio salis et aquae pariter fiat in nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † sancti. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus:

Deus invictae virtutis Auctor, et insuperabilis imperii Rex, ac semper magnificus Triumphator, qui adversae dominationis vires reprimis: qui inimici rugientis saevitiam superas: qui hostiles nequitias potenter expugnas; te, Domine, trementes et supplices deprecamur, ac petimus, ut hanc creaturam salis, et aquae dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuae rore sanctifices, ut, ubicunque fuerit aspersa, per invocationem sancti Nominis tui omnis infestatio immundi spiritus abigatur, terrorque venenosi serpentis procul pellatur, et praesentia sancti Spiritus misericordiam tuam poscentibus ubique adesse dignetur. Per Dominum nostrum JEsum

Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti etc. ℟. Amen.

Post Benedictonem aquae Sacerdos Dominicis diebus, antequam incipiat Missam, aspergit Altare (nisi Venerabile in eo sit expositum) deinde se, et Ministros, ac populum; et Chorus incipit Antiphonam, ut in Missali.

Asperges me Domine etc. Miserere mei Deus. Gloria Patri. Asperges.

Finita Antiphona: Asperges, *Sacerdos, qui aspergit aquam, reversus ad Altare, stans ante gradus Altaris dicat:*

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine axaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Exaudi nos, sancte Pater, omnipotens aeterne Deus, et mittere dignare sanctum Angelum tuum de coelis, qui custodiat, foveat,

protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Antiphona: Asperges, *supra dicto modo dicitur ad aspersionem aquae benedictae in Dominicis per totum annum, excepta Dominica de Passione, et Dominica Palmarum, in quibus non dicitur:* Gloria Patri; *sed post Psalmum:* Miserere, *repetitur immediate Antiphona:* Asperges me: *Excepto etiam tempore paschali, quo cantatur Antiphona:* Vidi aquam. Confitemini Domino etc. *ut in eodem Missali et in Versu:* Ostende nobis etc. *ac Responsorio:* Et salutare tuum, *additur:* Alleluja.

II.

BENEDICTIO DOMORUM

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI.

Hodie, item in Profesto Circumcisionis, in Vigilia Epiphaniae, et in Sabbatho S. Paschae, ubi usu receptum, benedicuntur domus eum in finem, ut propulsatis praestigiis diabolicis, etiam in domibus privatis tantae Domini nascentis, circumcidendi, apparentis, et a morte resurgentis festivitates majori cum devotione celebrentur.

Post Vesperas Sacerdos praecedentibus uno, vel duobus Ministris superpelliceo indutis

portantibus vas aquæ benedictæ cum aspergillo, et naviculam cum thuribulo etc. indutus superpelliceo, et stola albi coloris ex Ecclesia modeste procedit ad domum, et ingrediens dicit: Pax huic domui, et omnibus habitantibus in ea.

Tum aspergit adstantes domesticos aqua benedicta in modum crucis dicendo: Asperges me Domine hyssopo, et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor.

Deinde in principali, vel alio commodo domus loco ponit incensum in thuribulum, et illud benedicit: Ab illo benedicaris, in cujus honorem cremaberis, Amen. *Et mox incipiens dicit:*

Antiph. Hodie scietis, quia veniet Dominus, et mane videbitis gloriam ejus.

Psalm. 50. Miserere mei Deus etc. *et Canticum:* Magnificat etc. *in fine utriusque,* Gloria Patri etc. *quibus finitis, vel pro amplitudine loci repetitis repetitur Antiphona:* Hodie scietis etc. *Deinde reversus ad priorem locum principalem subjungit* ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Deus, qui hanc sacratissimam noctem veri luminis fecisti illustratione clarescere: da, quæsumus, ut cujus lucis mysteria in terris

cognovimus, ejus quoque gaudiis in cœlo perfruamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Divinum Auxilium maneat semper nobiscum.

℟. Amen.

III.

BENEDICTIO VINI

IN FESTO S. JOANNIS EVANGELISTAE.

Sacerdos juxta historiam de S. Joanne Evangelista toxicatum poculum benedicente ac bibente, benedicturus vina, Alba, vel superpelliceo, et Stola albi coloris indutus, stans in cornu Epistolæ, vino extra dictum cornu juxta se in mensa posito, et vasis apertis, dicat:

℣. Adjutorium nostrum etc. ℟. Qui fecit etc.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

℣. Initium S. Evangelii † secundum Joannem.

℟. Gloria tibi Domine.

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum: Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil,

quod factum est, in ipso vita erat, et vita erat lux hominum: et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat: et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in Nomine ejus. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis: et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis.

℟. Deo gratias.

Psalmus 22.

Dominus regit me, et nihil mihi deerit: * in loco pascuæ, ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me: * animam meam convertit.

Deduxit me super semitas justitiæ: * propter Nomen suum.

Nam, etsi ambulavero in medio umbræ

mortis, non timebo mala: * quoniam tu mecum es.

Virga tua, et baculus tuus: * ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam: * adversus eos, qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum: * et calix meus inebrians quam præclarus est?

Et misericordia tua subsequetur me: * omnibus diebus vitæ meæ.

Et ut inhabitem in domo Domini: * in longitudinem dierum.

Gloria Patri, et Filio etc. Sicut erat etc. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Esto nobis Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.

℣. Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus. ℟. Beatus vir, qui sperat in eo.

℣. Et si mortiferum quid biberint. ℟. Non eis nocebit.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Deus, et Pater Domini nostri JEsu Christi, cujus imperio cœli firmati sunt, cui omnis creatura deservit, et omnis potestas subjecta est, et metuit, et expavescit: Nos te in auxilium nostrum invocamus, cujus audito Nomine serpens conquiescit, draco fugit, vipera silet, et subdola illa, quæ dicitur rana inquieta, torpescit, scorpio extinguitur, regulus vincitur, squalongus nihil noxium operatur, et omnia venenata, et adhuc fortiora animalia noxia terrentur. Tu, Domine, extingue omnes diabolicas fraudes, et omnes humano generi adversantes nequitias, et hunc liquorem vini, per intercessionem sancti Joannis Evangelistæ, tua virtute bene†dicito; et omnes ex eo gustantes, meritis et precibus sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ, et ominum Sanctorum tuorum intervenientibus, ab omni malo custodias, et ad regnum gloriæ tuæ perducas. Per Dominum nostrum JEsum Christum etc.

Oremus:

Deus, qui mirabili potentia vinum producis ex vite, ut inde exhilaretur cor hominis; qui mirabiliori potentia in Cana Galilææ ad potandum nuptiali populo aquam convertisti in vinum, quique mirabilissima potentia

per manus Sacerdotum, elementum vini quotidie in sacratissimum tuum transformas Sanguinem: Deus, cujus potestate Joannes Evangelista venenosi potus digessit toxicum, bene†dicere dignare hanc creaturam vini, ut omnes ex eo gustantes, expulso toto genere nocivo, infuso tuæ Bene†dictionis mysterio, in animo et corpore mereantur misericorditer exhilarari. Per Dominum nostrum etc.

Oremus:

Beati Joannis Evangelistæ, quæsumus Domine, supplicatione placatus, et veniam nobis tribue, et remedia æterna concede. Per Dominum nostrum etc.

Et Benedictio Dei Pa†tris omnipotentis, et Fi†lii, et Spiritus † sancti descendat super hunc liquorem vini, et maneat semper. R/. Amen.

Postea aspergatur aqua benedicta in modum crucis, et si Benedictio fiat solemniter, thurificetur triplici ductu.

Denique vinum in vase mundo (non calice) porrigens populo ad bibendum dicat:

Bibe amorem sancti Joannis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

IV.

BENEDICTIO DOMORUM

IN PROFESTO CIRCUMCISIONIS.

S*acerdos per omnia procedit ut in Vigilia Nativitatis Domini pag. 16. et 17. dicendo.*

Antiph. Ecce Maria genuit nobis Salvatorem; quem Joannes videns, exclamavit, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, Alleluja.

Psalm. Miserere mei Deus etc. *cum Cantic.* Magnificat etc. *quibus finitis repetitur Antiph.* Ecce Maria etc. *et subjungitur* ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Deus, qui salutis æternæ, beatæ Mariæ Virginitate fæcunda, humano generi præmia præstitisti; tribue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus Authorem vitæ suscipere, Dominum nostrum, JEsum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat Deus in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Divinum auxilium maneat semper nobiscum. ℟. Amen.

V.

BENEDICTIO DOMORUM

IN VIGILIA EPIPHANIAE.

P*ost Vesperas eodem modo, quo supra in Vigilia Nativitatis Domini pag. 16. et 17. Sacerdos procedit, ac dicit Antiphonam:*

Apertis thesauris suis obtulerunt Magi Domino aurum, thus, et myrrham, Alleluja. *Psalm.* Miserere etc. Magnificat etc. *ut supra. Repetitur Antiphona:* Apertis thesauris etc. *et dicitur* ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Deus, qui hodierna die Unigenitum tuum gentibus stella duce, revelasti: concede propitius, ut, qui jam te ex fide cognovimus, usque ad contemplandam speciem tuæ celsitudinis perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

℟. Amen.

VI.

BENEDICTIO AQUÆ TRIUM REGUM

IN VIGILIA, SEU FESTO EPIPHANIAE.

Sacerdos in memoriam Christi Domini a Joanne Baptista in Jordanis flumine baptizati, aquam benedicturus superpelliceo, et Stola alba induitur, ac procedit ad locum, ubi alveolus cum aqua, sale, aspersorio, et imagine Crucifixi paratus est, dicens:

Responsorium. Hodie cœli aperti sunt, et mare dulce factum est, terra exultat: montes et colles lætantur. * Quia a Joanne in Jordane Christus baptizatus est. ℟. Quid est tibi mare, quod fugisti; et tu Jordanis, quia conversus es retrorsum? * Quia etc.

Finito Responsorio, dicatur:

Antiph. Vox Domini super aquas multas, Alleluja: Deus Majestatis intonuit, Alleluja.

Psalmus 28.

Afferte Domino filii Dei: * afferte Domino filios arietum.

Afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam Nomini ejus: * adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Vox Domini super aquas multas, Deus majestatis intonuit: * Dominus super aquas multas.

Vox Domini in virtute: * vox Domini in magnificentia.

Vox Domini confringentis cedros: * et confringet Dominus cedros libani.

Et comminuet eos tanquam vitulum libani: * et dilectus quemadmodum filius unicornium.

Vox Domini intercidentis flammam ignis, vox Domini concutientis desertum: et commovebit Dominus desertum Cades.

Vox Domini præparantis cervos, et revelabit condensa: * in templo ejus omnes dicent gloriam.

Dominus diluvium inhabitare facit: * et sedebit Dominus Rex in æternum.

Dominus virtutem populo suo dabit: * Dominus benedicet populo suo in pace.

Antiph. Vox Domini super aquas, Alleluja: Deus Majestatis intonuit, Alleluja.

Antiph. In Ecclesiis benedicite Dominum, Alleluja, de fontibus Israel, Alleluja.

Psalmus 67.

Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus: * et fugiant, qui oderunt eum, a facie ejus.

Sicut deficit fumus, deficiant: * sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.

Et justi epulentur, et exultent in conspectu Dei: * et delectentur in lætitia.

Cantate Deo, Psalmum dicite Nomini ejus: * iter facite ei, qui ascendit super occasum: Dominus nomen illi.

Exultate in conspectu ejus, turbabuntur a facie ejus, * patris orphanorum, et judicis viduarum.

Deus in loco sancto suo: * Deus, qui inhabitare facit unius moris in domo.

Qui educit vinctos in fortitudine: * similiter eos, qui exasperant, qui habitant in sepulchris.

Deus, cum egredereris in conspectu populi tui: * cum pertransires in deserto.

Terra mota est, etenim distillaverunt a facie Dei Sinai: * a facie Dei Israel.

Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ: * et infirmata est, tu vero perfecisti eam.

Animalia tua habitabunt in ea: * parasti in dulcedine tua pauperi Deus.

Dominus dabit verbum evangelizantibus, * virtute multa.

Rex virtutum dilecti dilecti: * et speciei domus dividere spolia.

Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ; * et posteriora dorsi ejus in pallore auri.

Dum discernit cælestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon: * Mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulatus, mons pinguis: * ut quid suspicamini montes coagulatos?

Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: * etenim Dominus habitabit in finem.

Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: * Dominus in eis, in Sina in Sancto.

Ascendisti in altum, cepisti captivitatem: * accepisti dona in hominibus.

Antiph. In Ecclesiis benedicite Dominum, Alleluja, de fontibus Israel, Alleluja.

Antiph. Ipse liberavit me: Alleluja, de laqueo venantium: Alleluja.

Psalmus 90.

Qui habitat in adjutorio Altissimi: * in protectione Dei cœli commorabitur.

Dicet Domino: Susceptor meus es tu, et refugium meum: * Deus meus sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium: * et a verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi: * et sub pennis ejus sperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus: * non timebis a timore nocturno.

A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris: * ab incursu, et daemonio meridiano.

Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis: * ad te autem non appropinguabit.

Verumtamen oculis tuis considerabis, * et retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine spes mea: * Altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum: * et flagellum non appropinguabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis suis mandavit de te: * ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: * ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem et basiliscum ambulabis: * et conculcabis leonem et draconem.

Quoniam in me speravit, liberabo eum: * protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, et ego exaudiam eum; cum ipso sum in tribulatione: * eripiam eum, et glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum; * et ostendam illi salutare meum.

Antiph. Ipse liberavit me: Alleluja, de laqueo venantium; Alleluja.

Quibus finitis Sacerdos sic dicit:

℣. Exaudi nos Domine. ℟. Quoniam benigna est misericordia tua: et secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos Domine.

℣. Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ.

℟. Usque ad animam meam.

℣. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. ℟. Sicut erat in principio, et nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

℣. Exaudi nos Domine. ℟. Quoniam benigna est misericordia tua: et secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos Domine.

Deinde dicuntur Litaniæ majores de omnibus Sanctis, genibus flexis.

Postquam autem dictum fuerit, ut omnibus fidelibus defunctis etc. *surgit, et dicit:*

Ut hánc aquamb ene†dicere digneris. ℟. Te rogamus, audi nos.

Ut hanc aquam bene†dicere, et sancti†ficare digneris. ℟. Te rogamus, audi nos.

Ut hanc aquam bene†dicere, sancti†ficare, et conse†crare digneris. ℟. Te rogamus, audi nos.

Genuflexus iterum prosequitur Litanias usque ad Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvos nos fac Domine Deus noster. ℟. Et congrega nos de nationibus.

℣. Ut confiteamur Nomini sancto tuo. R. Et gloriemur in laude tua.

℣. Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo. ℟. Et usque in sæculum, fiat, fiat.

Surgens sufflat in aquam tribus vicibus sic dicendo: Exsufflo te omnis legio satanæ, in nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † sancti.

EXORCISMUS AQUÆ.

Exorcizo te creatura aquæ: in nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † sancti: ne communices ulli spiritui immundo, sed dabis honorem viventi atque regnanti Patri, et Filio, et Spiritui sancto: ut ubicunque aspersa fueris, spiritus immundus ab eo loco recedat. Itemque adjuro te creatura aquæ: In nomine JEsu Christi Nazareni, Filii Dei vivi, Regis, et Judicis nostri: ut sis purgatio et sanctificatio hominum, quos Deus ad suam sanctam gratiam vocare dignatus est. Te ergo invoco, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut hanc aquam exorcizare, et bene†dicere pro tua pietate digneris: ut omnis immundus spiritus locum in ea ultra non habeat, vel potestatem; sed ubicunque aspersa fuerit, Angelorum tuorum ibi descendat Exercitus. Per eum, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde dicat: Lectio libri Numeri c. 20.

In illis diebus: convenerunt filii Israel adversum Moysen, et Aaron, et versi in seditionem

dixerunt: Da nobis aquam, ut bibamus, ingressusque Moyses et Aaron, dimissa multitudine, in tabernaculum fœderis corruerunt proni in terram, clamaveruntque ad Dominum atque dixerunt: Domine Deus, exaudi clamorem hujus populi, et aperi eis thesaurum tuum, fontem aquæ vivæ, ut satiati, cesset murmuratio eorum. Et apparuit gloria Domini super eos. ℟. Deo gratias.

Sequitur Tractus: Ultimo festivitatis die dicebat JEsus: qui in me credunt, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: Alleluja, Alleluja. ℣. Qui fitit, veniat ad me et bibat, et de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem etc. ℣. Vox Domini super aquas, Deus Majestatis intonuit: super aquas multas. Alleluja.

Postea legat: Dominus vobiscum. ℟. Et cum etc.

℣. Sequentia S. Evangelii secundum Joannem. ℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore: In novissimo autem die magno festivitatis stabat JEsus, et clamabat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant, credentes in eum. ℟. Laus tibi Christe.

EXORCISMUS AQUÆ.

Exorcizo te, creatura aquæ, per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † sanctum, per Deum totius mundi Creatorem, ut te mundum exhibeas contra omnem morbum, atque insidias inimici, et diabolicas potestates: ut ubicunque aspersa fueris, sit propitio Deo defensa domus ista. Et sicut defensæ fuerunt in Ægypto domus Hebræorum per signum sanguinis Agni, sic defendantur, Domine, domus famulorum famularumque tuarum per aspersionem hujus aquæ. In ipsius Nomine te exorcizo, qui filios Israel per medium maris eduxit. In ipsius Nomine te exorcizo, qui super te suis sanctis pedibus ambulavit, et in ipsius Nomine te exorcizo, quem Joannes in Jordane baptizavit, ut omnis spiritus erroris, et omnes phantasiæ dæmonum per te aspersæ fugiant, et separentur de eodem loco. Per eundem Dominum nostrum JEsum Christum filium tuum, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Sequitur alius Exorcismus.

Exorcizo te creatura aquæ, in nomine Dei Patris † omnipotentis, et in nomine Domini nostri JEsu Christi, ut omnis immundus spiritus, vel incursio satanæ separentur a te creatura aquæ. Proinde ergo efficere aqua

exorcizata ad effugandum omne phantasma inimici, et ipsum inimicum eradicare, et effugare valeas, in nomine Dei Pa†tris omnipotentis, qui cum eodem Filio suo, et Spiritu sancto vivit, et regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oremus:

Benedic † Domine, hanc aquam benedictione cœlesti, et assistat super eam virtus Spiritus sancti, ut ubicunque aspersio fuerit, longe recedat virtus inimicorum, verbera phantasmatum, incursio turbinum, percussio fulminum, læsio tonitruorum, calamitas tempestatum, omnis denique spiritus procellarum, te ipso benedicente, effugetur. Qui vivis, et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

ORATIO

SUPER SALEM LEGENDA.

Oremus:

Virtutis tuæ invictam fortitudinem deprecor, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, super hunc salem, cui non minimam gratiam conferre dignatus es, ut ex illo possint universa condiri, quæ homnibus ad escam per tuum Filium Dominum nostrum procreare jussisti: per quem, te Domine, supplices exoramus,

ut salem istum sancti†ficare, et bene†dicere, et conse†crare, pro tua pietate digneris, ut ex vultu divinæ Majestatis tuæ virtutem tuam contra omnes immundos spiritus possit accipere. Expellat de tabernaculis famulorum, famularumque tuarum, quidquid potest pestiferum esse, et exhibeat plenum salutis effectum. Deterreat præstigia, phantasmata compescat per signum sanctæ Cru†cis Filii tui Domini nostri, et tutelam fidelissimam desiderantibus praestet per hoc tuum, Domine JEsu Christe, signa†culum, quod nullius dolus, nullius pertinacia designavit.

ALIA BENEDICTIO SALIS.

Benedico te, creatura salis, in nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † sancti, qui te ad tutelam humani generis procreavit, et populo venienti ad credulitatem, per servos suos consecrari praecepit. Proinde rogamus te, Domine Deus noster, ut haec creatura salis, in nomine sanctae Trinitatis, efficiatur salutare Sacramentum, sitque perfecta medicina in visceribus fidelium tuorum. Per eum, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

ORATIO
SUPER SALEM LEGENDA.

Oremus:

Intuere, Domine, hanc creaturam salis, quam usibus humani generis tribuisti. Et petimus, omnipotens aeterne Deus, per signum Cru†cis Unigeniti Filii tui Domini nostri JEsu Christi, ut, ubicunque aspersa fuerit aqua hoc sale permixta, sit efficax ad evacuandam omnem adversariam potestatem inimici. Consummet, et arefaciat, nihilque ibi remaneat immundum, nihil pestiferum, sed per invocationem Nominis tui sit nobis mundum ac benedictum. Per eum, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

EXORCISMUS SALIS.

Exorcizo te, creatura salis, per Deum † verum, per Deum † sanctum, per Deum † totius Creatorem, per eum, qui te per Elisaeum Prophetam in aquam mitti jussit, ut sanaretur sterilitas aquae. Qui per Apostolum Paulum dicere dignatus est: sit cor vestrum sale conditum. Ideoque efficere sal ad exorcizandum, ad evacuandum, et expellendum inimicum, omnemque virtutem, et putredinem ejus, in nomine Domini nostri JEsu Christi,

qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et saeculum per ignem.

Oremus:

Dominus et Salvator noster JEsus, antequam ad coelos ascenderet, Apostolis suis mandavit, dicens: Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos.

Hic ponat sal in aquam, dicens: Haec commixtio salis, et aquae pariter fiat. In nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † sancti, et in virtute Domini nostri JEsu Christi, cui est honor, et gloria in saecula saeculorum. ℟. Amen.

EXORCISMUS SALIS, ET AQUAE.

Exorcizo te creatura salis et aquae, in nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † sancti. Exorcizo te per Deum vivum; exorcizo te per Crucifixum; exorcizo te per Spiritum sanctum. Per eum te exorcizo, qui te per Elisaeum Prophetam in aquam mitti jussit, dicens: Haec dicit Dominus: sanabitur aqua ista, et non erit in ea mors, neque sterilitas. Per ipsius Nomen te adjuro, qui divina voce oris sui Apostolis suis locutus est, dicens: Vos estis sal terrae, et cor vestrum sit sale conditum. Ut omnes, qui ex te sumpserint, sint sanctificati in animabus, et corporibus. Ut, ubicunque aspersa

fueris, effuges inimicum, et praestes omnibus remissionem peccatorum, expellas insidias, et excludas omnes daemonum tentationes. Te autem, Conditor et Restaurator omnium elementorum tuorum, qui haec fluenta tuo Nomine sanctificata, ad purgationem locorum proficere jussisti, deprecor, ut Nominis tui invocata Majestate gratiam Spiritus sancti haec aqua accipiat, valeatque ad expellendas diabolicas artes, per manus servorum tuorum aspersa, et per sanctificationem, quam tu Domine, sanctificando sanctificas, et benedicendo benedicis. Ut omnis immundus spiritus aspersione hujus aquae repulsus et confusus discedat et omnis incursus satanae, et omne phantasma, omnisque immunditia, et putredo inimicorum longe recedat, nec consistendi aut resistendi habeat potestatem, nec in eodem loco standi, aut commorandi, sed victus et destructus abscedat diabolus cum omni pompa sua. Per virtutem et gloriam Domini nostri JEsu Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

Sequitur alius Exorcismus.

Exorcizo te, creatura aquae sale conspersa, per Deum vivum, per Deum verum, per Deum totius Creatorem, qui te in principio separavit ab arida, et in quatuor flumina dividere dignatus est, ut ubicunque portata vel

aspersa fueris, effugetur et separetur inimicus, et omnis putredo ejus, ut sit ipsa domus Deo dicata. Per virtutem Domini nostri JEsu Christi, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

Item super aquam.

Te autem, creatura aquae, adjuro per Deum vivum, per Deum verum, per Deum sanctum, per eum te adjuro, qui te in principio separavit ab arida: adjuro te per Deum vivum, qui te de fonte paradisi manare fecit; *(hic dividat aquam in quatuor partes:)* Et in quatuor fluminibus exire jussit, et totam terram rigare praecepit. Adjuro te per eum, qui te in Cana Galilaeae sua potentia convertit in vinum: qui super te suis sanctis pedibus ambulavit: qui tibi nomen imposuit Syloo. Adjuro te per eum, qui te in Naaman Syrum a sua lepra per manum Elisaei Prophetae mundavit. Aqua san†cta, aqua bene†dicta, aqua *(hic tangat aquam, dicens:)* lavans sordes, et mundans peccata. Adjuro te per Deum vivum, ut te mundam exhibeas, nec aliquam phantasiam retineas, sed efficiaris exorcizata ad effugandum inimicum, et omnes actus fulguris. Ut, ubicunque aspersa fueris, sive in domo, sive in agro, sive in vineis, sive in seminatis campis, sive in fructibus,

sive in angulis cubiculorum, sive in navibus, sive in puteis: vel siquis ex te gustaverit, fias ei defensio, et remedium sanitatis. Ipse quoque diabolus elongetur, et separetur, quantum elongatum est caelum a terra: lux a tenebris: veritas a mendacio: justitia ab injustitia: dulce ab amaro: tantum elongetur, et separetur ille immundus spiritus ab habitationibus famulorum, famularumque Dei. Per nomen Domini nostri JEsu Christi, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat etc.

SEQUITUR PRAEFATIO.

℣. Per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

℣. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum.

℣. Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum, et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, * nos tibi semper et ubique gratias agere. * Domine Deus coeli et terrae * (cujus virtuti subdita sunt universa) cujus verbo creata sunt omnia; * supermitte, quaesumus, virtutem Spiritus sancti tui super hanc creaturam, * ut fiat aqua sanctificata * (in nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † sancti) te igitur omnipotens Deus, * altissima Salus, et Respector

perpetuus, * humiliter rogamus, et petimus, * ut nos exaudias, et miserearis precibus nostris, quatenus ubicunque haec aqua aspersa fuerit, * fiat, te jubente, causa purificationis: * habeat quoque perpetuam gratiam ipsa domus, fidem rectam, spem certam, charitatem perfectam, * gaudium verum, honorem perpetuum, ut omnes malevoli, et invidi spiritus * ab ea expellantur, et separentur. * Per Christum Dominum nostrum.

Iterum te alloquor aqua, quae lucis similitudinem habes, tu sub coelo, tu super coelum, tu sub terra, tu super terram. Super te invoco Nomen sanctum, ac admirabile Dei omnipotentis, qui te sua potentia convertit in vinum, suspendit super coelos, congregavit in terra, miscuit in mari, qui te arcanis et velocibus ventis pluere praecepit, et ad usum hominum, et lavacrum dedit, et sitientibus potum subministravit. Super aquam etiam Spiritus Domini non solum ferebatur, sed etiam fertur. Adjuro ergo te, creatura aquae, per septiformem Spiritum Dei vivi. Adjuro te per novem ordines Angelorum. Adjuro te per vocem tonitrui coruscantis, tremendi, et coelestis Regis. Adjuro te per lignum mysterii, de quo aqua percussa, statim dulcis facta est. Adjuro te per eum, qui

omnia creavit, ne contemnas vocem humilitatis meae, sed expellas omnem umbram, omnes satellites adversariorum, omnes machinationes diaboli, sive spirituum immundorum, sive damnatorum, sive errantium, sive ex combinatione magicae artis, sive praecantatorum argumento, sive draconum, et omnium volucrum, vel viperarum; quia imperat tibi Dominus JEsus Christus Filius Dei vivi, quod mox, ut aspersa fueris, in nomine Dei Sabaoth, sive in hominibus, sive in domibus, sive in vineis, sive in pecoribus, sive in quibuslibet animantibus, sive in seminatis campis, sive ab hominibus conculcata fueris, sive in navibus, sive in mari, sive in paludibus, sive in qualicunque creatura, vel in quocunque loco aspersa fueris, sive super infirmum, vel languentem, sive in potum data fueris, homini invaletudine detento, aut maligni spiritus infestatione percusso, mox expellas, et excludas omne malignum, ut possit homo velocius salvus fieri. Per virtutem Domini nostri JEsu Christi, qui neque dici, neque scribi, neque computari potest, cui Nomen est Deus.

Tu autem Domine, qui per Angelum tuum fontem Agar ostendisti, * et ex eo Ismaëlem sitientem potasti, * qui pueri tui Abrahae in Mesopotamia preces exaudisti, * et omnia desideria cordis ejus implevisti, qui famulo

tuo Moysi in deserto eremi petram percutere, * et ex ea aquam producere, et populum rigare jussisti.

Sacerdos ter dicit sequentem versum, stipitem Crucifixi ter in aquam immergendo:

Qui aquam amaram immisso ligno dulcorasti.

Antiph. Baptizatur Christus, et sanctificatur omnis mundus, et tribuit nobis remissionem peccatorum: aqua et spiritu omnes purificamur.

Antiph. Baptizat miles Regem: servus Dominum: Joannes Salvatorem. Aqua Jordanis stupuit, columba protestatur, paterna vox audita est: Hic est filius meus.

Sacerdos dicat hanc Orationem.

Benedicere, et sanctificare digneris Domine, hanc creaturam aquae, in nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † sancti, ut ubicunque aspersa fuerit in Nomine tuo, omnes saevas inimici jaculationes expellat. Illud etiam rogamus, ac petimus, Deus omnipotens, ut, sicut ad domum Raguëlis sanctum Angelum tuum Raphaëlem mittere dignatus es, ut Asmodaeum daemonem colligaret, simile quoque beneficium domibus nostris donare digneris, ut, ubicunque haec unda aspersa fuerit, nunquam malignus

spiritus in eadem domo consistendi, vel commorandi habeat potestatem, sed confusus protinus et destructus abscedat, per Christum Dominum nostrum, per quem Majestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates; coeli coelorumque virtutes, ac beata Seraphim, socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces, ut admitti jubeas, deprecamur, supplici confessione dicentes:

Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt coeli et terra gloria tua, Hosanna in excelsis. Benedictus, qui venit in Nomine Domini. Hosanna in excelsis.

EXORCISMUS.

Exorcizo te spiritus immunde, per Deum vivum, qui fecit coelum et terram, et omnia, quae in eis sunt, ut omnes virtutes adversarii, omnes exercitus diaboli, omnes incursus, et omnia phantasmata inimici eradicentur, et effugiant ab hac creatura salis et aquae, ut sit sancta et salutifera, et ignis ardens adversus omnes insidias eorum. Ut, ubicunque portata vel aspersa fuerit, haec creatura salis et aquae sit sanitas, sinceritas, et corporis medicina, ut effugiat omnis infirmitas. Fulgura quoque et grandines ab aspersione hujus aquae separentur, et effugiant, et elongentur. Per

eum, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

Oremus:

Vere sanctus, vere benedictus, terribilis, metuendus, et adorandus es, Domine Deus noster: ab occultis nostris munda nos, et ab alienis parce servis tuis, ut cum fiducia valeamus dicere orationem illam regalem, quam Dominus et Salvator noster per Evangelium suum orare docuit, dicens: Pater noster, qui es in coelis. Sanctificetur Nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua sicut in coelo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

Oremus:

Libera nos, quaesumus Domine, ab omnibus malis, praeteritis, praesentibus, et futuris: libera nos, quaesumus Domine, famulos et famulas tuas a gladio, a fame, a tentatione diaboli, a percussione saeculi, et ab infirmitatibus malis. Per Liberatorem, et Redemptorem Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Oremus:

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, Pater Domini nostri JEsu Christi, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, exorcizante me istam creaturam salis, et aquae, precor te, ut me exaudire digneris, in nomine Domini nostri JEsu Christi Nazareni, Filii Dei vivi, Regis et Judicis nostri, ut sit purgatio, et purificatio omnibus hominibus, atque in eis, in quibus aspersa fuerit, habeat potestatem ad effugandos immundos, et phantasmaticos spiritus, et omnem nefarium diabolum, atque omnes figuras et minas satanae. Concedatur etiam ei potestas ad exterminandum fulgura, et grandines, et omnes adversitates humanae naturae, ut non possit immundus spiritus nocere his locis, in quibus aspersa fuerit, sed confusus et destructus abscedat. Per virtutem Domini nostri JEsu Christi Regis, qui cum Deo Patre vivit et regnat in saecula saeculorum. ℟. Amen.

EXORCISMUS.

Adjuro te, creatura salis, et aquae, in nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † sancti. Adjuro te in nomine Domini nostri JEsu Christi, qui super te suis sanctis pedibus ambulavit. Adjuro te per eum, qui te de fonte paradisi produxit. Adjuro te per eum,

qui Apostolis suis praecepit, dicens: Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Per ipsius Nomen te adjuro, ut, ubicunque aspersa fueris, omne phantasma de domo ipsa, et omnis incursio diaboli eradicetur, et effugiat: per Deum vivum †, per Deum verum †, per Deum totius naturae Creatorem †, ut neque hominibus, neque Domiciliis, neque navibus, neque pecoribus, neque frugibus, neque arboribus noceas. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

Oremus:

Deus, qui ad salutem humani generis maxima quaeque sacramenta in aquarum substantia condidisti, adesto propitius invocationibus nostris, et elemento huic multimodis purificationibus praeparato, virtutem tuae Bene†dictionis infunde, ut creatura tua mysteriis tuis serviens, ad abigendos daemones, morbosque pellendos divinae gratiae sumat effectum: ut quidquid in domibus, vel in locis fidelium haec unda resperserit, careat omni immunditia, liberetur a noxa: non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens: discedant omnes insidiae latentis inimici: et si quid est, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aspersione hujus

aquae effugiat, atque discedat: ut salubritas per invocationem sancti tui Nominis expedita, ab omnibus impugnationibus sit defensa. Per eum, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

BENEDICTIO.

Benedictio Dei Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † sancti, descendat super hanc creaturam salis et aquae. ℟. Amen.

Tum Sacerdos incipiat: Credo in unum Deum etc. *quo finito aspergat populum aqua benedicta, et dicat Antiphonam:* Asperges me Domine etc. *cum* Gloria etc.

His dictis recitat Evangelium.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

℣. Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. ℟. Gloria tibi Domine.

Factum est autem, cum baptizaretur omnis populus, et JEsu baptizato et orante, apertum est coelum: Et descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum, et vox de coelo facta est: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi. Et ipse JEsus erat incipiens quasi annorum triginta, et putabatur Filius Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, qui fuit Melchi,

qui fuit Janne, qui fuit Joseph, qui fuit Mathathiae, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Hesli, qui fuit Nagge, qui fuit Mahath, qui fuit Mathatiae, qui fuit Semei, qui fuit Joseph, qui fuit Juda, qui fuit Joanna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri, qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosan, qui fuit Elmadan, qui fuit Her, qui fuit Jesu, qui fuit Eliezer, qui fuit Jorim, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, qui fuit Simeon, qui fuit Juda, qui fuit Joseph, qui fuit Jona, qui fuit Eliakim, qui fuit Melcha, qui fuit Menna, qui fuit Mathatha, qui fuit Nathan, qui fuit David, qui fuit Jesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naasson, qui fuit Abinadab, qui fuit Aram, qui fuit Essron, qui fuit Phares, qui fuit Judae, qui fuit Jacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abrahae, qui fuit Thare, qui fuit Nachor, qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noë; qui fuit Lamech, qui fuit Mathusale, qui fuit Henoch, qui fuit Jared, qui fuit Malaleel, qui fuit Cainan, qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei. JEsus autem plenus Spiritu sancto regressus est a Jordane. ℟. Laus tibi Christe.

Quo finito incipiat Te Deum laudamus:

te Dominum confitemur etc. *ut in Breviario. Deinde dicat*:

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, ℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, et mittere digneris sanctum Angelum tuum de coelis; qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

NOTANDUM. *Ad fovendam simul, et incitandam fidelium devotionem, sanctissimus Dominus noster Benedictus XIII. omnibus, et singulis utriusque sexus Christi fidelibus, qui hujusmodi aquae Benedictioni, quavis in Ecclesia illa fiat, devote adfuerint, centum indulgentiae dies perpetuo est elargitus.*

Si ita visum fuerit alicui Ecclesiae, hanc Benedictionem solemniter cum Cantu et Ministris paratis celebrare, varietas Cantus, ac Notae Chorales, aliique ritus, ex Rituali Romano novissimae editionis de anno 1757. desumi poterunt.

VII.

BENEDICTIO CANDELARUM,

IN FESTO PURIFICATIONIS B. MARIAE VIRGINIS, UT IN MISSALI.

Benedicuntur hac die, et alias infra annum ex ordinatione Ecclesiae lumina, seu candelae, quae ubicunque accensae, vel positae fuerint, valent praecipue contra fulmina, et tempestates et incursiones malignorum spirituum; unde patet dictas Candelas utiliter etiam accendi coram moribundis ad fugandos daemones, et divinam opem pro illis facilius impetrandam.

VIII.

BENEDICTIO PANIS, VINI,

VEL ALIORUM ESCULENTORUM, AUT POCULENTORUM IN FESTO S. BLASII.

Si fidelis populus voluerit ad Ecclesiam deferre panem, vinum etc. ante vel post Missam in honorem S. Blasii Ep. M. contra malum anginae patrocinantis benedicuntur, ac domi a fidelibus pie sumuntur.

℣. Sit Nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc, nunc, et usque in saeculum.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini, ℟. Qui fecit coelum, et terram.

℣. Ora pro nobis sancte Blasi. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Salvator mundi Deus, Domine JEsu Christe, qui hodiernam diem beatissimi Blasii Martyrio consecrasti, et diversas creaturas ad salutem hominum creasti: quique ex quinque panibus, et duobus piscibus quinque millia hominum satiasti, ac populum Judaicum in deserto miraculose pavisti; ineffabilem misericordiam tuam suppliciter exoramus, et petimus, ut hos panes, escas ac liquores, quos plebs fidelis tibi devote hodie ad sanctificandum attulit, tua pietate bene†dicere et sancti†ficare digneris, ut qui ex eis comederint, vel gustaverint, ab omni gutturis plaga, et totius corporis infirmitate, meritis et intercessione ejusdem beati Blasii Martyris tui, plenam recipiant sanitatem: et nos servos tuos ab omni corporis et animae aegritudine sanos conserves. Qui vivis et regnas Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde aspergat aqua benedicta nihil dicens.

IX.

BENEDICTIO COLLORUM,

EADEM DIE IN MEMORIAM DICTI S. MARTYRIS.

Benedicuntur duae candelae, ut sequitur.

℣. Adjutorium nostrum etc.
℣. Domine exaudi etc.
℣. Dominus vobiscum etc.

Oremus:

Omnipotens et mitissime Deus, qui omnium mundi rerum diversitates solo Verbo creasti, et ad hominum reformationem illud idem Verbum, per quod facta sunt omnia, incarnari voluisti: qui magnus es et immensus, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia: pro cujus fidei defensione gloriosus Martyr, et Pontifex Blasius diversorum tormentorum genera non pavescens Martyrii palmam feliciter est adeptus. Cui inter caeteras gratias hanc praerogativam contulisti, ut quoscunque gutturis morbos tua virtute curaret: Majestatem tuam suppliciter exoramus, ut non intuitu nostri reatus, sed ejus placatus meritis et precibus, hanc creaturam cerae bene†dicere et sancti†ficare tua venerabili pietate digneris, tuam gratiam infundendo, ut omnes, quorum colla per eam ex bona fide tacta fuerint, a quocunque gutturis morbo ipsius passionis meritis liberentur, et in

ipsius passionis meritis liberentur, et in Ecclesia sancta tua sani et hilares tibi gratiarum referant actiones: et laudent Nomen tuum gloriosum, quod est benedictum in saecula. Per eundem Dominum etc.

Aspergat aqua benedicta, et iisdem decussatim junctis tangens singulorum colla dicat:

Per intercessionem sancti Blasii Episcopi et Martyris liberet et praeservet te Dominus a malo gutturis in nomine Patris etc.

X.

IN FESTO S. AGATHAE.

BENEDICTIO PANIS, FRUCTUUM,

AQUAE, VINI, CANDELARUM etc. CONTRA IGNES.

Psalmus 66.

Deus miseratur nostri, et benedicat nobis: * illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam: * in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: * confiteantur tibi populi omnes.

Laetentur et exultent gentes: * quoniam judicas populos in aequitate, et gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus; confiteantur tibi populi omnes: * terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: * et metuant eum omnes fines terrae.

Gloria Patri etc. Kyrie eleison etc. Pater noster etc.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Sit Nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.
℣. Ora pro nobis beata Agatha.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

ORATIO.

Domine JEsu Christe, Fili Dei vivi, qui es panis vivus, qui de coelo descendisti, benedic †, et sanctifica † hos panes, fructus, cereos, aquam, vinum, oleum, et caetera hic posita in honorem beatae Agathae Virginis, et Martyris tuae deportata: et concede per intercessionem ejusdem Virginis, et Martyris, ut ubicunque contra ignem comburentem missa vel posita fuerint, illico ignis evanescat, et penitus extinguatur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis, Patris †, et Filii †, et Spiritus † sancti, per intercessionem beatae Agathae Virginis, et Martyris descendat, et maneat super hos panes, et super omnes ex eis gustantes. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

XI.

BENEDICTIO CINERUM

FERIA QUARTA IN CAPITE JEJUNII.

UT IN MISSALI.

Benedicuntur Cineres, ut illi, qui Cineres illos devote susceperint, spiritum compunctionis, et peccatorum remissionem consequi mereantur. 2. Ut contra spirituales nequitias pugnaturi continentiae muniantur auxiliis. 3. Ut corporis sanitatem, et animi tutelam percipiant. 4. Denique, ut Deus illis omnia, quae juste postulaverint, tribuat, et concessa perpetuo stabilita, et intacta manere decernat.

XII.

BENEDICTIO RAMORUM

DOMINICA PALMARUM.

UT IN MISSALI.

Benedicuntur Rami. 1. Ut qui illos devote gestaverint tam corporis quam animae

protectionem suscipiant. 2. Ut de hoste victoriam reportent, et opera eorum frondeant justiciae Ramis. 3. Ut in quemcunque locum introducti fuerint, habitatores illius omnem Benedictionem consequantur, et omni adversitate fugata protegantur. Ex quo patet, quod Rami etiam pecoribus prosint, qua ratione a fidelibus in stabulis quoque asservari solent.

XIII.

BENEDICTIO NOVI IGNIS, QUINQUE GRANORUM, ET CEREI PASCHALIS IN SABBATHO SANCTO.

UT IN MISSALI.

In Benedictione novi ignis Ecclesia Deum praecipue rogat, ut fideles illustrentur gratia coelesti, simulque adjuventur contra ignita tela inimici; unde passim carbones, et ligna ambusta contra tempestates maleficas etc. domi accendi solent. 2. In Benedictione quinque granorum similiter rogat Ecclesia, ut in quocunque loco ex hujus sanctificationis mysterio aliquid fuerit deportatum, expulsa diabolicae fraudis nequitia, Virtus Divinae Majestatis assistat. 3. Denique in Benedictione cerei Paschalis eadem Ecclesia precatur omnibus specialem Dei protectionem, et temporum quietem, victoriam contra inimicos, et perpetuam pacem, nominatim autem orat pro summo Pontifice, pro Imperatore etc.

XIV.

BENEDICTIO DOMORUM

IN SABBATHO SANCTO PASCHAE.

Sacerdos, superpelliceo et Stola alba indutus, cum Ministro deferente vas aquae ex Benedictione fontium ante perfusionem Chrismatis acceptae, visitat domos suae Parochiae, aspergens eas eadem aqua benedicta.

Ingrediens domum, dicit: Pax huic domui, et omnibus habitantibus in ea.

Deinde aspergens loca praecipua domus, et eos, qui habitant in ea, dicit Antiphonam:

Vidi aquam egredientem te templo a latere dextro, Alleluja: et omnes, ad quos pervenit aqua ista, salvi facti sunt, Alleluja, Alleluja. *Psalmus*: Confitemini Domino etc. *Ex Breviario Romano horae 1mae in Dominica:* Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, sicut erat etc. *Repetitur Antiphona:* Vidi aquam etc. *dein dicit:*

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, Alleluja.

℟. Et salutare tuum da nobis, Alleluja.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, et sicut domus Hebraeorum in exitu de AEgypto agni sanguine linitas, quod Pascha nostrum, in quo immolatus est Christus, figurabat, ab Angelo percutiente custodisti, ita mittere digneris sanctum Angelum tuum de coelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

XV.

BENEDICTIO ESCULENTORUM

IN DOMINICA PASCHATIS.

BENEDICTIO AGNI PASCHALIS,

SEU CARNIS IN PASCHATE.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Domine exaudi etc. ℟. Et clamor etc.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Deus, qui per famulum tuum Moysen in liberatione populi tui de AEgypto agnum

occidi jussisti in similitudinem Domini nostri JEsu Christi, et utrosque postes domorum de sanguine hujus Agni perungi praecepisti: ita bene†dicere, et sancti†ficare digneris hanc creaturam carnis, quam nos famuli tui ad laudem tuam sumere desideramus, per resurrectionem Domini nostri JEsu Christi, qui tecum vivit, et regnat in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Aspergatur, nisi aliae Benedictiones simul dicantur.

ALIA BENEDICTIO CARNIUM.

℣. Adjutorium nostrum etc. ℟. Qui fecit etc.

℣. Domine exaudi etc. ℟. Et clamor etc.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Domine JEsu Christe, Fili Dei vivi, qui es verus immaculatus Agnus, quique immaculatus in Ara Crucis oblatus, peccata mundi delesti, et nos in tuum ovile reportasti: has carnes, quas ad usus hominum creasti, bene†dicere, et sancti†ficare digneris, ut omnes ex eis sumentes tua Bene†dictione repleti, corporis et animae sanitatem, te annuente, semper accepisse laetentur, Salvator mundi. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Oremus:

Deus universae Creator carnis, qui Noë et filiis ejus, de mundis tantum animalibus sumere, et agnum Paschalem olim in figuram JEsu Christi, qui verus est Agnus, manducare praecepisti; dignare, quaesumus, Domine Deus, has carnes ovium, (vel haedorum, vel agnorum, vel boum, vel avium etc.) bene†dicere, et sancti†ficare, ut quicunque de tuis fidelibus ex eis comederint, omni Benedictione coelesti, et tua perenni gratia repleti satientur. Per eundem Dominum nostrum etc.

Aspergantur, ut supra dictum est post Benedictionem agni Paschalis.

BENEDICTIO OVORUM
IN PASCHATE.

℣. Adjutorium nostrum etc. ℟. Qui fecit etc.

℣. Domine exaudi etc. ℟. Et clamor etc.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Subveniat, quaesumus, Domine, tuae bene†dictionis gratia huic ovorum creaturae, de qua pullos gallinarum procreare dignatus es,

ut cibus salubris fiat tuis fidelibus in tuarum gratiarum actione sumentibus. Per Christum Dominum nostrum etc.

Aspergantur, ut supra dictum est.

BENEDICTIO AD QUODCUNQUE COMESTIBILE.

℣. Adjutorium nostrum etc. ℟. Qui fecit etc.

℣. Domine exaudi etc. ℟. Et clamor etc.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Bene†dic, Domine, creaturam istam N. ut sit remedium salutare generi humano: et praesta per invocationem sancti Nominis tui, ut quicunque ex ea sumpserint, corporis sanitatem, et animae tutelam accipiant. Per Dominum nostrum JEsum Christum etc.

Aspergantur omnia simul; si porro plura esculenta benedicantur, ℣℣. Adjutorium etc. *tantum semel in principio dicuntur.*

XVI.

BENEDICTIO EQUORUM

(BOUM, OVIUM, AUT ALIORUM ANIMALIUM) GREGATIM COLLECTORUM IN FESTO S. GEORGII MARTYRIS, AUT ALTERIUS SANCTI, UBI CONSUETUDO VIGET.

℣. Adjutorium nostrum etc. ℟. Qui fecit etc.

℣. Domine exaudi etc. ℟. Et clamor etc.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Misericordiam tuam, supplices exoramus, Domine Deus noster, ut interveniente pro nobis S. Georgio (vel sancto N.) hos equos, (et alia animalia) in Nomine tuo Benedictionis † tuae virtute ab omni diabolica fraude, et potestate, et a quocunque morbo conservare digneris; tu eis, Domine, sis defensio, et subsidium vitae, et remedium sanitatis: et multiplica ea tuae misericordiae benignitate, ut honorificetur Nomen sanctum tuum in saecula. ℟. Amen.

Oremus:

Exaudi nos, sancte Pater, omnipotens aeterne Deus, ut, sicut domos Hebraeorum in exitu de Aegypto Agni sanguine conspersas

ab Angelo percutiente custodisti: ita meritis et intercessione ejusdem S. Georgii (vel sancti N.) mittere digneris sanctum Angelum de coelis, qui custodiat, protegat, atque defendat hos equos (vel alia animalia) ab infirmitate, a raptoribus, ab animalibus nocivis, a scabie, a variis morbis, et morsibus, ab improvisis periculis, a diabolo, et ministris ejus, ab insidiis inimicorum visibilium, et invisibilium omnium, nec non a maleficiis, et veneficiis quocunque modo factis, vel procuratis, ut laudetur, et magnificetur Nomen sanctum tuum, et gloriosum. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis Patris †, et Filii †, et Spiritus † sancti, descendat super hos equos, et maneat semper. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

XVII.

BENEDICTIO TEMPESTATIS

TEMPORE VERNALI, ET AESTIVALI POST MISSAM.

Sacerdos dicto Evangelio sancti Joannis: In principio erat Verbum etc. *stans in medio Altaris dicit:*

℣. A fulgure, grandine, et tempestate.
℟. Libera nos Domine JEsu Christe.
℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.
℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Domine exaudi Orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Quaesumus omnipotens Deus, ut intercessione sanctae Dei Genitricis Mariae, sanctorum Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, Viduarum, et omnium Sanctorum tuorum continuum nobis praestes subsidium: tranquillam auram permittas, atque contra fulgura, et tempestates desuper nobis indignis tuam salutem effundas de coelis, et generi humano semper aemulas, dextera potentiae tuae aëreas conteras potestates. Per eundem Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Oremus:

Deus, qui omnium rerum tibi servientium naturam, per ipsos motus aëris ad cultum tuae

Majestatis instituis, tranquillitatem nobis tuae misericordiae, remotis aëris terroribus permanere permittas, ut, cujus iram expavemus, clementiam sentiamus. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat etc. ℟. Amen.

Postea accipit Crucem Benedictionis eo fine in Altari extra tabernaculum paratam, et utraque manu tenens dicit:

℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc, et usque in saeculum.
℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum, et terram.

Tum vertens se ad populum, et faciens unam tantum Crucem (nisi sit Praelatus infulatus, qui tres format Cruces) dicit:

Benedictio Dei omnipotentis, Patris †, et Filii, et Spiritus sancti, descendat super vos (locum istum) et fructus terrae, et maneat semper. ℟. Amen.

Si aliquo die sub Missa Sanctissimum vel in Monstrantia, vel in Ciborio expositum fuerit, haec Benedictio cum iis dabitur, ut supra, similiter formando unam Crucem.

Si autem Missa de Requiem in paramentis nigris celebretur eo die, quo Benedictio tempestatis est facienda, Sacerdos finita Missa

vel ad ipsum Altare, vel in Sacristia illis depositis sumit Stolam albam, sicut fieri oportet, quando immediate post Missam pro defunctis sacra Communio administrari debet.

Si denique sanctissimum Sacramentum in Monstrantia sit expositum, dictis Orationibus ante infimum gradum Altaris more solito imponitur incensum sine Benedictione, et dictum Sanctissimum incensatur.

XVIII.

BENEDICTIO TEMPESTATIS

EODEM TEMPORE VERNALI, ET AESTIVALI EXTRA MISSAM.

Sacerdos vel in Ecclesia ante Altare majus superpelliceo, et Stola, vel domi, sola Stola violacea indutus, et genuflexus cum firma fiducia in Deum dicit Litanias majores, ut in fine hujus Benedictionalis, in quibus bis dicitur: A fulgure, et tempestate.

In fine Litaniarum dicitur: Pater noster etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

Psalmus 147.

Lauda Jerusalem Dominum, * lauda Deum tuum Sion.

Quoniam confortavit seras portarum tuarum: * benedixit filiis tuis in te.

Qui posuit fines tuos pacem: * et adipe frumenti satiat te.

Qui emittit eloquium suum terrae: * velociter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam, * nebulam sicut cinerem spargit.

Mittit crystallum suam, sicut buccellas: * ante faciem frigoris ejus quis sustinebit.

Emittet verbum suum, et liquefaciet ea: * flabit Spiritus ejus, et fluent aquae.

Qui annuntiat verbum suum Jacob: * justitias, et judicia sua Israel.

Non fecit taliter omni nationi: * judicia sua non manifestavit eis.

Gloria Patri, et Filio etc. Sicut erat in principio etc.

Deinde Sacerdos stans versus tempestatem dicit:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℣. Qui fecit coelum et terram.

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Adjuva nos Deus salutaris noster.

℟. Et propter gloriam Nominis tui Domine libera nos.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis,

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Fiat misericordia tua Domine super nos.
℟. Quemadmodum speravimus in te.
℣. Salvum fac populum tuum Domine.
℟. Et benedic haereditati tuae.
℣. Non privabis bonis eos, qui ambulant in innocentia.
℟. Domine Deus virtutum, beatus homo, qui sperat in te.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice: et flagella iracundiae tuae, quae pro peccatis nostris meremur, averte.

A Domo tua, quaesumus Domine, spirituales nequitiae repellantur, et aërearum discedat malignitas tempestatum.

Omnipotens sempiterne Deus, parce metuentibus, propitiare supplicibus: ut post sopitos nubium impetus in materiam laudis transeat comminatio tempestatis.

Domine JEsu Christe, qui imperasti ventis et mari, et facta fuit tranquillitas magna: exaudi preces familiae tuae, et praesta: ut hoc signo sanctae Crucis † omnis discedat saevitia tempestatum.

Omnipotens et misericors Deus, qui nos et castigando sanas, et ignoscendo conservas: praesta supplicibus tuis; ut et tranquillitatibus optatae consolationis laetemur, et dono tuae pietatis semper utamur. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum etc.

Postea Sacerdos manu formans Crucem versus tempestatem dicit:

Benedictio Dei omnipotentis Patris †, et Filii, et Spiritus sancti, descendat super has nubes, et omnem vim inimici ab eis repellat. ℟. Amen.

Denique locus versus nubes aspergatur aqua benedicta per modum Crucis.

Si tempestas longius duret, possunt subjungi Litaniae de SS. Nomine JEsu, vel Lauretanae B. V. M. potest etiam dici Oratio Sancti, vel Sanctae, vel Sanctorum propriae Ecclesiae.

Si porro tempestas aliquando sit periculosior, et rationabiliter timeatur, ne forte opera daemonum fuerit concitata, poterit etiam sub tali conditione saltem tacita dici sequens

EXORCISMUS

contra imminentem Tempestatem fulgurum et grandinis.

Per signum † Crucis de inimicis nostris libera nos † Deus noster. In nomine Patris †,

et Filii †, et Spiritus † sancti, Amen. Pater, Ave, et Credo.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Sit Nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc, et usque in saeculum.

℣. Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus.

℟. Et fugiant, qui oderunt eum, a facie ejus.

℣. Exurge Christe, adjuva nos.

℟. Et libera nos propter Nomen tuum.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Domine JEsu Christe, qui fecisti coelum et terram, et omnia, quae in eis sunt, quique flumini Jordani benedixisti, atque in eo baptizari voluisti, et tuas sanctissimas manus et brachia sanctissima in Cru†ce extendisti, quibus aërem sanctificasti. Obsecramus immensam pietatis, et bonitatis abundantiam, quatenus has nubes, quas ante me, et post me, et supra me a dextris, et a sinistris video aërem per-

turbare, dissolvere, et annihilare digneris, ut alligata potestas daemonum impie desaevientium deficiat, et turbetur ad laudem tui sanctissimi Nominis, et potentissimae Majestatis tuae. Qui vivis et regnas etc.

Postea conversus ad nubes signet eas signo Crucis, dicens:

Benedicat te nubes Deus † Pater, benedicat te Deus † Filius, benedicat te Deus † Spiritus sanctus. Dividat te Deus † Pater, dividat te Deus † Filius, dividat te Deus † Spiritus sanctus. Destruat te Deus † Pater, destruat te Deus † Filius, destruat te Deus † Spiritus sanctus.

OBSECRATIO.

Sanctus Matthaeus, sanctus Marcus, sanctus Lucas, sanctus Joannes Evangelista, qui Christi Evangelium per quatuor mundi partes divulgarunt, suis meritis, et precibus hanc tempestatem a termino isto, et ab omnibus Christianorum finibus ab eodem Domino nostro JEsu Christo removeri obtineant, et depelli.

EXORCISMUS.

Et ego peccator, et Christi Sacerdos, seu Minister, licet indignus auctoritate et virtute ejusdem Dei et Domini nostri JEsu Christi

summi Imperatoris, non meae potentiae innixus, et confisus vobis praecipio immundissimi Spiritus, qui has nubes, seu nebulas concitatis, in virtute ejusdem Domini nostri JEsu Christi † per sanctissimam ejusdem Incarnationem, per sanctam Nativitatem, per Baptismum, et jejunium ipsius, per ejusdem sacratissimam Cru†cem, et Passionem, per sanctam Resurrectionem, per admirabilem Ascensionem, per tremendum Adventum ejus ad judicium, per merita intemeratae semperque Virginis Mariae, et Sancti N. per merita omnium Sanctorum, ut exeatis ab eis, quatenus nocere non possint hominibus, animalibus, fructibus, herbis, arboribus, agris (vineis) aut quibuscunque rebus, humanis usibus deputatis, per Dominum nostrum JEsum Christum, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et saeculum per ignem, Amen.

Ipse vobis imperat daemones, qui has nubes commovetis, a quo de nube lucida dictum est, hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui †, ipse vobis imperat, qui sua sacratissima Corporis sui sanctissimi in ea extensione aërem purgavit †, ipse vobis imperat, qui per mortem suam vos, principem vestrum, mortemque devicit, et ligavit, atque aeternae gehennae mancipavit incendiis †, ipse vobis imperat, qui inferno spoliato surrexit a mortuis. † Ipse vobis imperat, qui post quadra-

ginta dies nube susceptus virtute sua ascendit in coelum †, ipse vobis imperat, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

Denique aquam benedictam in modum Crucis aspergat.

EXORCISMUS BREVIOR

contra imminentem Tempestatem.

Ego, qua Minister Christi, et Ecclesiae, potestate, a Deo, et ab Ecclesia recepta, in virtute SS. Trinitatis, et in nomine Domini nostri JEsu Christi impero tibi daemon, imo omnibus vobis daemonibus, qui forte hanc tempestatem excitatis, ut illico una cum omnibus maleficiis ab aëre fugiatis, et recedatis, neque ullam habeatis potestatem has nubes commovendi, vel grandines excitandi: fugite ergo partes adversae, daemones infernales; sic enim vobis impero in nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † sancti. ℟. Amen.

Si tempestas cessaverit pro gratiarum actione dicatur Te Deum laudamus etc. *ut in Breviario.*

℣. Benedicamus Patrem, et Filium cum sancto Spiritu.

℟. Laudemus, et superexaltemus eum in saecula.

Oremus:

Deus, cujus misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus: piissimae Majestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes, ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad praemia futura disponas, per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat etc. ℟. Amen.

Contra tempestates etiam valent aqua benedicta, Agnus Dei, Carbones Sabbati sancti Paschae, Palmae, et Candelae in festo Purificationis, vel alias infra annum benedictae, et accensae.

XIX.

BENEDICTIO AGRORUM, VINEARUM etc.

TEMPORE VERNALI, ET AESTIVALI IN FESTO ASCENSIONIS, ET ALIIS TEMPORIBUS PRO LOCORUM CONSUETUDINE.

Pro hac Benedictione ordinatur Processio more consueto, et in illa quatuor haberi solent stationes, in quibus cantantur initia Evangeliorum cum Versiculis, et Orationibus, ut sequitur.

IN PRIMA STATIONE

Sacerdos stans absolute incipit cantare:

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

℣. Initium sancti Evangelii secundum Matthaeum (*signat Librum, et se, ut alias*). ℟. Gloria tibi Domine. Liber Generationis etc. *ut in fine hujus Benedictionalis.*

In fine osculatur Librum, dicens: Per Evangelica dicta deleantur nostra delicta, Amen.

Quibus absolutis subjungit:

℣. Ut fructus terrae dare, et conservare digneris.

℟. Te rogamus audi nos.

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine exaudi Orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Clementiam tuam, omnipotens Deus, suppliciter deprecamur, ut benedicere, visitare, et irrigare digneris fruges, et fines servorum tuorum, noxias tempestates amoveas, inundationem coerceas imbrium, spirituales repellas nequitias, aërem salubrem indulgeas, et ab omni nos inimicorum infestatione in pace defendas, quos corpore, et sanguine Filii tui a morte perpetua redemisti. Qui tecum vivit, et regnat in uni-

tate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Finita Oratione accipit Crucem Benedictionis, et utraque manu tenens pergit cantando:

℣. Sit Nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc, et usque in saeculum.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

Tum formans Crucem versus populum, et agros, vel vineas dicit:

Benedictio Dei omnipotentis, Patris †, et Filii, et Spiritus sancti, descendat super vos, et fructus terrae, et maneat semper.

Denique agri, vel vineae, ubi moris est, ter in modum Crucis asperguntur aqua benedicta.

IN SECUNDA STATIONE

iterum cantare incipit:

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

℣. Initium sancti Evangelii secundum Marcum (*signat Librum et se*). ℟. Gloria tibi Domine.

In fine osculatur Librum, dicens: Per Evangelica dicta etc.

℣. Dominus dabit benignitatem.

℟. Et terra nostra dabit fructum suum.

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Domine exaudi Orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Quaesumus omnipotens Deus, ut, misericordia tua annuente, concedas nobis messium copiam, fructuum largitatem (vinearum quoque substantiam) arborum foetus, rerumque omnium sufficientiam, et ab his omnibus malignum tempestatis sydus, vim procellarum, frigora nocentia, et grandines amovere digneris. Per Dominum nostrum JEsum Christum etc. ℟. Amen.

℣. Sit Nomen Domini benedictum. *Cum reliquis, ut supra pag. 77. usque ad Benedictionem, et aspersionem aquae benedictae inclusive.*

IN TERTIA STATIONE.

℣. Dominus vobiscum etc.
℣. Initium sancti Evangelii secundum Lucam (*signat Librum, et se*). ℟. Gloria tibi Domine. Fuit in diebus Herodis etc.
℣. A fulgure, grandine, et tempestate.
℟. Libera nos Domine JEsu Christe.
℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Domine exaudi Orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Quaesumus omnipotens Deus, ut intercessione sanctae Dei Genitricis Mariae, sanctorum Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, Viduarum, et omnium Sanctorum tuorum continuum nobis praestes subsidium: tranquillam auram permittas, atque contra fulgura, et tempestates desuper nobis indignis tuam salutem effundas de coelis, et generi humano semper aemulas dextera potentiae tuae aëreas conteras potestates. Per eundem Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat etc. ℟. Amen.

℣. Sit Nomen Domini benedictum. *Cum reliquis ut supra pag. 77. usque ad Benedictionem, et aspersionem aquae benedictae inclusive.*

IN QUARTA, seu ULTIMA STATIONE.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

℣. Initium sancti Evangelii secundum Jo-

annem (*signat Librum, et se*). ℟. Gloria tibi Domine. In principio erat Verbum etc.

℣. Domine non secundum peccata nostra facias nobis.

℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine exaudi Orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Deus, qui omnium rerum tibi servientium naturam, per ipsos motus aëris ad cultum tuae Majestatis instituis, tranquillitatem nobis tuae misericordiae, remotis aëris terroribus permanere permittas, ut, cujus iram expavemus, clementiam sentiamus. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat etc. ℟. Amen.

℣. Sit Nomen Domini benedictum. *Cum reliquis, ut supra pag. 77. usque ad Benedictionem, et aspersionem aquae benedictae inclusive.*

NOTANDUM. *Post singulas stationes continuantur preces consuetae, videlicet Rosaria, Litaniae etc. quibus omnibus finitis reditur ad Ecclesiam more solito.*

XX.

BENEDICTIO QUADRUPLEX

IN PROCESSIONE FESTI SS. CORPORIS CHRISTI.

POST EVANGELIUM PRIMUM

Sacerdos stans in medio Altaris cantat, ut sequitur:

℣. Salvum fac populum tuum Domine.
℟. Et benedic haereditati tuae.
℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.
℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Domine exaudi Orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Deus, in te sperantium fortitudo, adesto propitius invocationibus nostris: et quia sine te nihil potest mortalis infirmitas, praesta auxilium gratiae tuae, ut in exequendis mandatis tuis, et voluntate tibi, et actione placeamus. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Oremus:

Da, quaesumus Domine, populo tuo salutem mentis, et corporis: ut bonis operibus inhaerendo, tua semper mereatur protectione defendi. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum etc. ℟. Amen.

Finitis Orationibus Sacerdos cum debitis reverentiis descendit ad pedem Altaris, ibidem stans imponit incensum sine Benedictione, et genuflexus Sacramentum thurificat.

Postea assumpto velo oblongo iterum ascendit ad medium Altaris, accipit Monstrantiam, et tenens illam ante se, canit sequentes Versus.

℣. Sit Nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc, et usque in saeculum.
℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum, et terram.

Deinde vertit se cum Venerabili versus populum, et producit cum Monstrantia unam tantum Crucem, nisi sit Praelatus insignibus Pontificalibus utens, qui tres facit Cruces, dicens:

Benedictio Dei omnipotentis Patris †, et Filii, et Spiritus sancti, descendat super vos, locum istum, et fructus terrae, et maneat semper. ℟. Amen.

POST EVANGELIUM SECUNDUM

Sacerdos iterum cantat, ut sequitur:

℣. A peste, fame, et bello.
℟. Libera nos Domine JEsu Christe.
℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.
℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende: ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a poenis, quas pro his meremur, eripias. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum etc. ℟. Amen.

Oremus:

Familiam tuam, quaesumus Domine, continua pietate custodi: ut a cunctis adversitatibus, te protegente, sit libera, et in bonis actibus tuo Nomini sit devota. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum etc. ℟. Amen.

Finitis Orationibus fiunt reliqua omnia, ut supra ad primum Evangelium pag. 82.

POST EVANGELIUM TERTIUM

Sacerdos similiter cantat, ut sequitur:

℣. Fiat pax in virtute tua.
℟. Et abundantia in turribus tuis.
℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.
℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Domine exaudi Orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Omnipotens sempiterne Deus, qui coelestia simul, et terrena moderaris; supplicationes populi tui clementer exaudi, et pacem tuam nostris concede temporibus. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum etc. ℟. Amen.

Oremus:

Hostium nostrorum, quaesumus Domine, elide superbiam, et eorum contumaciam dexterae tuae virtute prosterne. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum etc. ℟. Amen.

Dictis Orationibus fiunt reliqua omnia, ut supra ad primum Evangelium pag. 82.

POST EVANGELIUM QUARTUM

Sacerdos iterum cantat, ut sequitur:

℣. A fulgure, grandine, et tempestate.

℟. Libera nos Domine JEsu Christe.

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine exaudi Orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Quaesumus omnipotens Deus, ut intercessione sanctae Dei Genitricis Mariae, sanctorum Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, Viduarum, et omnium Sanctorum tuorum continuum nobis praestes subsidium: tranquillam auram permittas, atque contra fulgura, et tempestates desuper nobis indignis tuam salutem effundas de coelis, et generi humano semper aemulas, dextera potentiae tuae aëreas conteras potestates. Per eundem Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum etc. ℟. Amen.

Oremus:

Deus, qui omnium rerum tibi servientium naturam, per ipsos motus aëris ad cultum tuae

Majestatis instituis, tranquillitatem nobis tuae misericordiae, remotis aëris terroribus, permanere permittas, ut, cujus iram expavemus, clementiam sentiamus. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum etc. ℟. Amen.

His Orationibus finitis fiunt et reliqua omnia, ut supra ad primum Evangelium pag. 82.

Peracta Processione, et sanctissimo Sacramento super Altare deposito, eoque incensato, Sacerdos praemisso. ℣. Panem de coelo praestitisti eis, Alleluja. *Cum* ℟. Omne delectamentum in se habentem, Alleluja. *Stans dicit:*

Oremus:

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuae memoriam reliquisti: tribue, quaesumus, ita nos Corporis, et Sanguinis tui sacra Mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis, et regnas per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Postea imposito incenso, iterumque incensato sanctissimo Sacramento canitur a Sacerdote Versus Genitori etc. *et datur cum Venerabili Benedictio, factaque incensatione illud reverenter reponitur.*

XXI.

BENEDICTIO HERBARUM

IN FESTO ASSUMTIONIS B. V. MARIÆ.

Benedicuntur hac die herbae salutiferae in memoriam gloriosi triumphi, quem B. V. Maria in coelum assumpta de mundo, carne, et daemone reportavit. 2. Ut, qui herbas sunt portaturi, vel ex eis aliquid gustaverint, sanitatem mentis et corporis consequantur. 3. Ut non solum hominibus sed et pecoribus prosint, praesertim si sint maleficiata; admoneatur autem populus, ut his non utatur ad cremandum seu fumigandum.

℣. Adjutorium nostrum etc. ℟. Qui fecit etc.

℣. Domine exaudi etc. ℟. Et clamor etc.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Domine sancte, Pater omnipotens, qui ab initio fecisti hominem ad imaginem tuam, et condidisti coelum et terram, solem et lunam, stellas, et omnia coelestia, et terrestria; qui dominaris potestati maris: qui habes potestatem abyssi magnae: qui condidisti omnia elementa: Tu bene†dicere, et sancti†ficare digneris has creaturas herbarum, sicut benedixisti quinque panes in deserto, et duos pisces, et satiasti

quinque millia hominum: omnesque qui utentur ex eis: bene†dicere, et sancti†ficare dignare, ut in eis sit sanitas animae, et corporis in nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † sancti: et ab omnibus hominibus, pecoribusque, qui ex his gustaverint, omnem putredinem, et omne phantasma diaboli, et omnem morbum, ac dolorem expellere digneris, qui in Trinitate perfecta vivis, et regnas Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Oremus:

Omnipotens sempiterne Deus, suppliciter et obnixis precibus tuam deprecamur clementiam, qui mirabiliter ex nihilo cuncta creasti, quique terram diversa proferre germina praecepisti, et varia medicamentorum genera, ad sananda generis humani corpora, herbis indidisti: bene†dicere, et sancti†ficare has diversi generis herbas tua pietate digneris: ut, quicunque ex eis in hac Solemnitate Beatissimae semper Virginis Mariae, Dei Genitricis, sumpturi sunt, tam animae, quam corporis desiderabilem percipiant sanitatem, et eadem intercedente, sic earum usu jucundentur salubriter, quatenus in tuorum odore unguentorum paradisi januas adire mereantur: praestante Domino nostro JEsu Christo, qui tecum vivit, et regnat Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Oremus:

Deus, qui in universis herbarum generibus humanis necessitatibus praestitisti remedia, hanc herbarum collectionem tuae miserationis bene†dic dextera; ut, quiscunque languore depressus ex eis aliquid gustaverit, Ecclesiae tuae sanctae repraesentatus, optatae munus salutis te donante percipiat. Per Dominum nostrum etc. ℟. Amen.

Resp. Vidi speciosam, sicut columbam, ascendentem desuper rivos aquarum; cujus inaestimabilis odor erat nimis in vestimentis ejus. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. ℣. Quae est ista, quae ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhae et thuris. Et sicut dies verni? etc. *deinde Sacerdos dicit:*

℣. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Veneranda nobis, Domine, hujus diei Festivitas opem conferat sempiternam, in qua sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit; quae Filium tuum Dominum nostrum, de se genuit

incarnatum: qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde aspergantur aqua benedicta in modum Crucis, et si benedictio fiat solemniter, thurificentur triplici ductu.

XXII.

BENEDICTIO PANIS

IN FESTO, SEU ALIO DIE
IN HONOREM S. GEBHARDI EPISC. ET CONFESSORIS.

℣. Adjutorium nostrum etc. ℟. Qui fecit etc.

℣. Domine exaudi Orationem etc. ℟. Et clamor meus etc.

Oremus:

Salvator mundi, Deus aeterne, JEsu Christe, qui hodiernum diem beati Gebhardi solemnitati consecrasti, et diversas creaturas ad salutem hominum condidisti, quique ex quinque panibus, et duobus piscibus quinque millia satiasti, ac populum Judaicum in deserto miraculose pavisti, ineffabilem misericordiam tuam suppliciter exoramus, ac petimus, ut hos panes, quos fideliter et devote hodie ad sanctificandum offerimus, tua pietate bene†dicere, et sancti†ficare digneris, ut, qui ex eis comederint, vel gusta-

verint, ab omni gutturis plaga, et totius corporis infirmitate meritis et intercessione ejusdem beati Gebhardi Confessoris tui plenam recipiant sanitatem, et nos servos tuos ab omni corporis, et animae aegritudine conserves. Qui vivis, et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Oremus:

Domine JEsu Christe, Fili Dei vivi, qui es panis vivus, qui de coelo descendisti, bene†dic, et sancti†fica hos panes in honorem beati Gebhardi Confessoris tui huc deportatos: et concede per intercessionem ejusdem Episcopi et Confessoris tui Gebhardi, ut, ubicunque contra ignem missi vel positi fuerint, illico ignis evanescat, et penitus extinguatur. Qui vivis, et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † sancti, per intercessionem beati Gebhardi Episcopi, et Confessoris tui descendat, et maneat super hos panes, et super omnes ex eis gustantes. ℟. Amen.

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus bene†dicere digneris hos panes tua sancta spirituali Bene†dictione, ut sint omnibus sumentibus salus mentis et corporis, atque contra

omnes morbos, et universas inimicorum insidias tutamentum. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, panem vivum, qui de coelo descendit, et dat vitam, et salutem mundo, et tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

SECTIO III.

BENEDICTIONES
EXTRAORDINARIAE PERSONARUM.

I.
BENEDICTIO MULIERIS
POST PARTUM.

Si *qua puerpera post partum juxta Divae Virginis exemplum, ac piam, et laudabilem consuetudinem ad Ecclesiam veniat pro incolumitate sua Deo gratias actura, petatque a Sacerdote Benedictionem, ipse superpelliceo, et Stola alba indutus cum Ministro aspergillum deferente ad fores Ecclesiae accedat, ubi illam genuflectentem, vel (ubi commode fieri nequit) stantem aqua benedicta aspergat,*

et seipsum signans signo Crucis dicat, respondente Ministro:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum, et terram.

Antiphona.

Haec accipiet Benedictionem a Domino.

Psalmus 23.

Domini est terra, et plenitudo ejus: * orbis terrarum, et universi, qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum: * et super flumina praeparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus, et mundo corde, * qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo:

Hic accipiet benedictionem a Domino, * et misericordiam a Deo salutari suo.

Haec est generatio quaerentium eum, * quaerentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portae aeternales: * et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriae? * Dominus fortis, et potens, Dominus potens in praelio.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portae aeternales: * et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriae? * Dominus virtutum ipse est Rex gloriae.

Gloria Patri etc.

Antiphona.

Haec accipiet Benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo: quia haec est generatio quaerentium Dominum.

Postea dicitur:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvam fac famulam tuam Domine.

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in ea. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Domine exaudi Orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Omnipotens sempiterne Deus, Majestatem tuam supplices exoramus, ut, sicut unigenitus Filius tuus, cum nostrae carnis substantia in templo est praesentatus, ita facias hanc famulam tuam purificata tibi mente in templo tuo

praesentari. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri JEsu Christi, qui Unigenitum tuum una cum Matre sua semper Virgine Maria post quadraginta dierum spatium in templo praesentari voluisti, benedicere †, et sanctificare † dignare hanc famulam tuam, post partum suum tibi Domino Deo nostro ad templum hoc purificandi gratia praesentatam, et concede propitius, ut, sicut eam per nostrum officium ad templum istud terrenum introducimus, sic post finem vitae praesentis regni coelestis mereatur introitum. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos porrigens extremam Stolae partem puerperae deosculandam, et introducendo eam in Ecclesiam dicit:

Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum ex hoc nunc, et usque in saeculum. ℟. Amen.

Postremo illam aspergat aqua benedicta in modum Crucis, dicens:

Benedictio Dei omnipotentis, Patris, et Fi†lii, et Spiritus sancti, descendat super te, et maneat semper. ℟. Amen.

Si plures adsint puerperae, omnia dicantur in numero plurali. Puerpera, si mortua fuerit,

hac Benedictione post mortem non benedicatur, neque Acatholica, quod etiam ex consuetudine ad puerperas extramatrimoniales extenditur.

Si mulier legitime impedita v. g. diuturna infirmitate ad Ecclesiam accedere nequeat, domi quoque benedici poterit, sine aspersione aquae benedictae incipiendo a Versu: Adjutorium nostrum etc. *et post Versum:* Dominus vobiscum etc. *omissis binis Orationibus una cum porrectione Stolae, et interductione in Ecclesiam, immediate dicendo sequentem Orationem:*

Oremus:

Omnipotens sempiterne Deus, qui per beatae Mariae Virginis partum fidelium parientium dolores in gaudium vertisti: respice propitius super hanc famulam tuam, et praesta, ut post hanc vitam ejusdem beatae Mariae meritis, et intercessione, ad aeterna Beatitudinis gaudia pervenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum.

Deinde Sacerdos puerperam aspergit aqua benedicta in modum Crucis, dicens, ut supra:

Benedictio Dei omnipotentis, Patris, et Fi†lii, et Spiritus sancti, descendat super te, et maneat semper. ℟. Amen.

II.

BENEDICTIO MULIERIS

ANTE PARTUM VITA, VEL PARTU PERICLITANTIS.

Parochus coram periclitante stando dicat:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Salvam fac ancillam tuam. ℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Esto illi, Domine, turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in ea. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eam.

℣. Domine exaudi Orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis, in confessione verae fidei, aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia Majestatis adorare unitatem: quaesumus, ut ejusdem fidei firmitate, haec famula tua ab omnibus semper muniatur adversis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus:

Domine Deus, omnium Creator, fortis et terribilis, justus et misericors; qui solus bonus et pius es; qui de omni malo liberas Israel; qui electos Patres munere Spiritus tui sanctificasti; qui gloriosae Virginis Matris Mariae corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum esse mereretur, Spiritu sancto cooperante praeparasti; qui Joannem Baptistam Spiritu sancto repleri, et in utero Matris exultare fecisti: accipe sacrificium cordis contriti, ac fervens desiderium famulae tuae N. humiliter supplicantis pro conservatione prolis debilis, quam ei dedisti concipere, et custodi partem tuam, et defende ab omni dolo et injuria dicti hostis, ut, obstetricante manu misericordiae tuae, foetus ejus ad hanc lucem veniat incolumis, ac sanctae regenerationi servetur, tibique in omnibus jugiter deserviat, et vitam consequi mereatur aeternam. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea aspergatur aqua benedicta in modum Crucis dicendo

Psalmum 66.

Deus misereatur nostri, et benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, * et misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam: * in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: * confiteantur tibi populi omnes.

Laetentur et exultent gentes: * quoniam judicas populos in aequitate, et gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: * terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: * et metuant eum omnes fines terrae.

Gloria Patri etc.

℣. Benedicamus Patrem, et Filium, cum sancto Spiritu. ℟. Laudemus, et superexaltemus eum in saecula.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te, ℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

℣. Domine exaudi Orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Visita, quaesumus Domine, habitationem istam, et omnes insidias inimici ab ea, et a praesenti famula tua longe repelle, Angeli tui sancti habitent in ea, qui eam, et foetum ejus ab omni adversitate, et mortis periculo, tua Bene†dictione custodiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis, Patris, et Filii †, et Spiritus Sancti, descendat super te, et super prolem tuam, et maneat semper. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

III.

BENEDICTIO INFIRMORUM

IN GENERE.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.

Psalm. 90.

Qui habitat in adjutorio Altissimi etc. *ut supra pag. 28.*

In fine Gloria Patri etc.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvum fac famulum tuum (famulam tuam).
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Mitte eis Domine auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion tuere eum (eam).
℣. Nihil proficiat inimicus in eo (in ea).
℟. Et Filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Esto ei Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Dominus opem ferat illi.
℟. Super lectum doloris ejus.
℣. Domine exaudi Orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Deus, cui proprium est misereri semper, et parcere, suscipe deprecationem nostram: ut nos, et hunc famulum tuum (hanc famulam tuam) quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Deus infirmitatis humanae singulare praesidium auxilii tui super infirmum famulum tuum (infirmam famulam tuam) ostende virtutem, ut ope misericordiae tuae adjutus (adjuta) Ecclesiae tuae sanctae incolumis repraesentari mereatur.

Concede hunc famulum tuum (hanc famulam tuam) quaesumus, Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere, et gloriosa beatae Mariae semper Virginis intercessione a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat eum vel eam aqua benedicta, dicendo:

Benedictio Dei omnipotentis Patris †, et Filii, et Spiritus sancti, descendat super te, et maneat semper. ℟. Amen.

ALIA BENEDICTIO INFIRMORUM.

℟. Adjutorium nostrum etc. *ut supra pag. 100.*

Oremus:

Introeat, quaesumus, Domine JEsu Christe, domum hanc sub nostrae humilitatis ingressu, aeterna felicitas, divina prosperitas, serena laetitia, charitas fructuosa, sanitas sempiterna; effugiat ex hoc loco accessus daemonum: adsint Angeli pacis: domumque hanc deserat effugata discordia. Magnifica, Domine, super nos Nomen sanctum tuum, bene†dic conversationi nostrae, sanctifica nostrae humilitatis ingressum; qui sanctus et pius es, et permanes cum Patre et Spiritu sancto in saecula etc. ℟. Amen.

Postea dicitur:

Psalm. De profundis clamavi etc.

℣. Dominus vobiscum etc.

℣. Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

℟. Gloria tibi, Domine.

In illo tempore, surgens JEsus de synagoga introivit in domum Simonis: Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, et rogaverunt illum pro ea, et stans super illam imperavit febri, et dimisit illam: et continuo surgens ministrabat illis. Cum sol autem occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad JEsum. At ille singulis manus imponens curabat eos.

Quo dicto subditur:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem etc.

℣. Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum.

℟. Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

℣. Salvum fac servum tuum.

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Ego dixi: Domine! miserere mei.

℟. Sana animam meam, qui peccavi tibi.

℣. Domine exaudi etc.

℣. Dominus vobiscum etc.

Oremus:

Respice, Domine, famulum tuum, fratrem nostrum, in infirmitate sui corporis laborantem: et animam refove, quam creasti: ut castigationibus emendatus, continuo se sentiat tua medi-

cina salvatum. Per Christum Dominum nostrum etc.

Ponat manum super caput infirmi, et dicat:

Super aegros manus imponent, et bene habebunt †, JEsus Mariae Filius, mundi Salus, et Dominus, meritis B. M. et omnium Sanctorum sit tibi clemens et propitius. ℟. Amen.

Dominus JEsus Christus apud te sit, ut te defendat: intra te sit, ut te conservet; ante te sit, ut te deducat: post te sit, ut te custodiat: super te sit, ut te bene†dicat: qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum, Amen.

Benedictio Dei omnipotentis Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † sancti, descendat super te, et maneat semper. ℟. Amen.

Aspergatur.

IV.

BENEDICTIO PUERORUM,

SIVE INFANTIUM, CUM PRIMUM IN ECCLESIA PRAESENTANTUR A PARENTIBUS.

Sacerdos superpelliceo et Stola alba indutus, coram Altari versus puerum dicit:

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra pag. 100.*

℣. Domine exaudi etc. *ut supra pag.* **101.**
℣. Dominus vobiscum etc. *ibid.*

Oremus:

Quaesumus, omnipotens Deus, Pueris istis (vel Puero isti) pro quibus (vel quo) tuam deprecamur clementiam, bene†dicere digneris, et per virtutem sancti Spiritus corda eorum (vel cor ejus) corrobora, vitam sanctifica, castitate decora: et sensus eorum (vel ejus) in bonis operibus munire, et informare, et ab omnibus diabolicis ac humanis fraudibus et insidiis tua protectione et virtute tueri, et tandem ad requiem aeternam perducere digneris. Per Christum etc.

Psalm. Laudate pueri Dominum etc. *ex Vesp. Dom. cum* Gloria Patri etc.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem etc.
℣. Benedic Domine, Pueris istis (vel Puero isti).
℟. Et invocetur super eos (vel eum) Nomen Domini Dei nostri.
℣. Videte, ne condemnatis unum ex his pusillis. ℟. Quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est.
℣. Dominus vobiscum etc.

Oremus:

Domine JEsu Christe, qui parvulos tibi oblatos, et ad te venientes complectebaris (*hic ponat manus super capita puerorum*) manusque super illos imponens benedicebas, atque dicebas: sinite parvulos venire ad me, et nolite prohibere eos, talium enim est regnum coelorum, et Angeli eorum semper vident faciem Patris mei: respice, quaesumus, ad pueri vel puellae (*si fuerit unus*) seu puerorum vel puellarum praesentium innocentiam, et ad suorum parentum devotionem, et clementer eos hodie per ministerium meum bene†dic, ut in tua gratia et misericordia semper proficiant, te sapiant, te diligant, te timeant, et mandata tua custodiant et ad finem optatum feliciter perveniant per te, Salvator mundi. Qui cum Patre, et Spiritu sancto vivis et regnas Deus in saecula. ℟. Amen.

Oremus:

Respice, quaesumus, Domine, ad praesentium puerorum (*vel* praesentis hujus pueri) devotionem: ut in tua gratia et misericordia proficiant et crescant, et cum sancta Bene†dictione tua in gratia coelesti conserventur, et post hanc vitam ad aeternam salutem perducantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Sacerdos imponens manus super eos (vel eum) cum signo Crucis dicit:

Benedictio Dei omnipotentis Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † sancti, descendat super vos et custodiat, et dirigat, et maneat semper. R. Amen.

Aspergantur.

V.

BENEDICTIO PROLIS INFIRMAE.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum, et terram.
℣. Domine exaudi Orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Omnipotens sempiterne Deus conserva puerum istum, (Puellam istam) et virtute Spiritus sancti vitam illius sanctifica, sanitatem confer, prospera tribue, pacem concede; atque ab omnibus humanis et diabolicis insidiis tua protectione defende. Angelus tuus sanctus ei in custodiam deputatus, illi bene†dicat, et Nomen sanctum tuum super eum (eam) jugiter invocetur, crescat in multitudinem dierum, et ad gaudia paradisi perveniat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Benedictio Dei Omnipotentis, Patris, et Filii †, et Spiritus sancti, descendat super te, et maneat semper. ℟. Amen.

Aspergat prolem aqua benedicta.

VI.

BENEDICTIO PEREGRINORUM,

SEU AD LOCA SACRA PRODEUNTIUM.

Peregrini, ad loca sancta profecturi, antequam discedant, juxta veteris Ecclesiae institutum, deberent accipere Patentes, seu commendatitias literas a suo Ordinario seu Parocho. Quibus obtentis, et rebus suis dispositis, facta peccatorum suorum confessione, et audita Missa, in qua dicitur Oratio pro Peregrinantibus, sanctissimam Eucharistiam devote suscipiunt. Expleta Missa, Sacerdos super eos genuflexos dicit sequentes preces:

Antiph. In viam pacis. *Canticum.* Benedictus Dominus Deus Israel etc. *ex Laudibus Breviarii. In fine* Gloria Patri etc. *Repetitur Antiph.* In viam pacis et prosperitatis dirigat vos omnipotens et misericors Dominus: et Angelus Raphael comitetur vobiscum in via, ut cum pace, salute, et gaudio revertatis ad propria.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster etc. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus sperantes in te. ℣. Mitte eis Domine auxilium de Sancto. ℟. Et de Sion tuere eos. ℣. Esto eis Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Nihil proficiat inimicus in eis. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis. ℣. Benedictus Dominus die quotidie. ℟. Prosperum iter faciat nobis Deus salutarium nostrorum. ℣. Vias tuas Domine demonstra nobis. ℟. Et semitas tuas edoce nos. ℣. Ut dirigantur viae nostrae. ℟. Ad custodiendas justificationes tuas. ℣. Erunt prava in directa. ℟. Et aspera in vias planas. ℣. Angelus suis Deus mandavit de te. ℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis. ℣. Domine exaudi Orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Deus, qui filios Israel per maris medium sicco vestigio ire fecisti, quique tribus Magis iter ad te stella duce pandisti; tribue eis, quaesumus, iter prosperum, tempusque tranquillum, ut, Angelo tuo sancto comite, ad eum, quo pergunt, locum, ac demum ad aeternae salutis portum feliciter valeant pervenire.

Deus, qui Abraham puerum tuum, de Ur Chaldaeorum eductum, per omnes suae pere-

grinationis vias illaesum custodisti: quaesumus, ut hos famulos tuos custodire digneris; esto eis, Domine, in procinctu suffragium, in via solatium, in aestu umbraculum, in pluvia et frigore tegumentum, in lassitudine vehiculum, in adversitate praesidium, in lubrico baculus, in naufragio portus: ut, te Duce, quo tendunt, prospere perveniant, et demum incolumes ad propria revertantur.

Adesto, quaesumus Domine, supplicationibus nostris, et viam famulorum tuorum in salutis tuae prosperitate dispone, ut inter omnes viae et vitae hujus varietates tuo semper protegantur auxilio.

Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut familia tua per viam salutis incedat, et beati Joannis Praecursoris hortamenta sectando ad eum, quem praedixit, secura perveniat Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum.

Exaudi, Domine, preces nostras, et iter famulorum tuorum propitius comitare, atque misericordiam tuam, sicut ubique es, ita ubique largire; quatenus a cunctis adversitatibus tua opitulatione defensi, gratiarum tibi referant actionem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Pax et Benedictio † Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, descendat super vos, et maneat semper. ℟. Amen.

Deinde aspergantur aqua benedicta.

Quodsi unus fuerit peregrinaturus, omnia dicuntur in numero singulari; ac si Sacerdos ipse, qui benedicit, fuerit socius peregrinationis, dicat in persona prima numeri pluralis, quatenus congruere videbitur.

VII.
BENEDICTIO PEREGRINORUM
POST REDITUM.

S*acerdos Stola et superpelliceo indutus, peregrinus domum reversos, in Ecclesia genuflexos, ipse coram Altari stans, benedicit, dicens:*

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

Antiph. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Psalmus 127. Beati omnes, qui timent Dominum etc. *Fer. 4. ad Vesp. In fine* Gloria Patri etc. *Repetitur Antiphona:* Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster etc. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Benedicti, qui veniunt in nomine Domini. ℟. Benedicti vos a Domino, qui fecit coelum et terram. ℣. Respice Domine in servos tuos, et in opera tua. ℟. Et dirige eos in viam mandatorum tuorum. ℣. Domine exaudi Orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Largire, quaesumus Domine, famulis tuis indulgentiam placatus et pacem, ut pariter ab omnibus mundentur offensis, et secura tibi mente deserviant.

Omnipotens sempiterne Deus, nostrorum temporum vitaeque Dispositor, famulis tuis continuae tranquillitatis largire subsidium, ut, quos incolumes propriis laboribus reddidisti, tua facias protectione securos.

Deus humilium Visitator, qui nos fraterna dilectione consolaris, praetende Societati nostrae gratiam tuam, ut per eos, in quibus habitas, tuum in nobis sentiamus adventum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergantur aqua benedicta, Sacerdote dicente: Pax et Benedictio † Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, descendat super vos, et maneat semper. ℟. Amen.

VIII.

BENEDICTIO NEO-MYSTAE,

SEU NOVI SACERDOTIS SUPER UNUM, VEL PLURES.

Neo-Mysta, seu novus Sacerdos more passim recepto benedicturus unum, vel plures ante se genuflexos junctis manibus dicit: Benedicat te (vos) omnipotens Deus; *deinde manu sinistra infra pectus posita, extensa manu dextera formando Crucem pergit:* Pater, et Filius †, et Spiritus sanctus. Amen.

SECTIO IV.

BENEDICTIONES
EXTRAORDINARIAE RERUM
AD USUM SACRUM

I.

BENEDICTIO SIMPLEX CRUCIS.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum, et terram.
℣. Domine exaudi etc.
℣. Dominus vobiscum etc.

Oremus:

Rogamus te, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, ut digneris bene†dicere hoc lignum Crucis, ut sit remedium salutare generi humano, sit soliditas fidei, profectus bonorum operum, redemptio animarum, sit solamen et protectio, ac tutela contra saeva jacula inimicorum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus:

Bene†dic Domine hanc Crucem tuam, per quam eripuisti mundum a daemonum potestate,

et superasti Passione tua suggestorem peccati, qui gaudebat in praevaricatione primi hominis per ligni vetiti sumptionem.

Hic aspergat aqua benedicta.

Sanctificetur hoc signum Crucis, in nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † sancti, ut orantes, inclinantesque se propter Dominum ante istam Crucem inveniant corporis et animae sanitatem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

NOTANDUM. *Cruces Altarium, seu Processionum non sunt benedicendae de praecepto, potest tamen simplex Sacerdos eas benedicere privatim, et non solemniter. S. R. C. 12. Jul. 1704. in una Urbis Clemente XI. confirmante in suo Bullario Part. 3. Decr. 5.*

II.

BENEDICTIO SIMPLEX IMAGINUM

JESU CHRISTI, B. VIRGINIS, ET ALIORUM SANCTORUM.

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Omnipotens sempiterne Deus, qui Sanctorum tuorum imagines (*sive* effigies) sculpi, aut pingi non reprobas, ut quoties illas oculis corporeis intuemur, toties eorum actus et sancti-

tatem ad imitandum memoriae oculis meditemur; hanc, quaesumus, imaginem (*seu* sculpturam) in honorem et memoriam unigeniti Filii tui Domini nostri JEsu Christi (*vel* beatissimae Virginis Mariae Matris Domini nostri JEsu Christi, *vel* beati N. Apostoli tui, *vel* Martyris, *vel* Confessoris, *vel* Pontificis, *aut* Virginis) adaptatam bene†dicere et sancti†ficare digneris: et praesta, ut quicunque coram illa unigenitum Filium tuum (*vel* beatissimam Virginem, *vel* gloriosum Apostolum, *sive* Martyrem, *sive* Confessorem, *aut* Virginem) suppliciter colere et honorare studuerit, illius meritis et obtentu a te gratiam in praesenti, et aeternam gloriam obtineat in futuro. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea aspergat eas aqua benedicta.

III.

BENEDICTIO MEDALIORUM,

SEU NUMISMATUM, SIGNORUM CONFRATERNITATIS etc.

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Omnipotens sempiterne Deus, Largitor bonorum omnium, atque Salus et vita animarum nostrarum, te suppliciter exoramus, ac petimus,

ut haec Numismata (*seu* signa Confraternitatis etc.) quibus Domini nostri JEsu Christi effigies etc. etc. seu ejusdem Redemptoris nostri in Cruce pendentis signum seu imago Virginis Deiparae, ac Sanctorum Apostolorum, Martyrum, Confessorum et Virginum tuarum figura impressa est; bene†dicere et sancti†ficare digneris, ut qui unum aut plura ex his secum devote gestaverit, aut domi suae reverenter asservaverit, per merita Sanctorum tuorum, quorum effigies in his expressae sunt, ab omnibus diaboli insidiis omnique morbo cantagioso praeservetur, atque corporis et animae sanitatem continuam consequatur. Per eundem etc.

Oremus:

Benedic † Domine haec Numismata (*seu* signa Confraternitatis etc.) ut fiant salutare remedium, et devotionis augmentum omnibus ea devote venerantibus. Et praesta per invocationem tui S. Nominis, et Sanctorum tuorum, quorum effigies haec praeseferunt, ut quisquis eadem secum portaverit, aut domi suae asservaverit, bene†dictionem et defensionem tuam accipiat: atque contra omnes morbos atque universas tentationes diaboli tutamen penes se habeat. Unde ego Sacerdos tuus in Nomine tuo, et in nomine Sanctorum tuorum haec Numismata puri†fico, sancti†fico, et bene†dico:

ut sint defensio Creaturis tuis, et ignis ardens daemonum, atque destructio omnium maleficiorum, in nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † sancti. ℟. Amen.

IV.

BENEDICTIO ROSARIORUM
CONFRATERNITATIS ROSARII.

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Omnipotens et misericors Deus, qui propter eximiam charitatem tuam, qua dilexisti nos, Filium tuum unigenitum, Dominum nostrum JEsum Christum, de coelis in terram descendere, et de beatissimae Virginis Mariae, Dominae nostrae, utero sacratissimo, Angelo nuntiante, carnem suscipere, crucemque ac mortem subire, et tertia die gloriose a mortuis resurgere voluisti, ut nos eriperes de potestate diaboli: obsecramus immensam clementiam tuam, ut hoc signum (*vel* haec signa) Rosarii in honorem et laudem ejusdem Genitricis Filii tui ab Ecclesia tua fideli dicata, bene†dicas et sancti†fices, eique (*vel* eisque) concedere digneris, ut quicunque illud (*vel* horum quodlibet) secum portaverit, atque in domo sua reverenter habuerit, et in eo (*vel* eis) ad Te secundum ejusdem sanctae Societatis instituta, divina con-

templando mysteria devote oraverit, salubri et perseveranti devotione abundet, sitque consors, et particeps omnium gratiarum, privilegiorum, et indulgentiarum, quae eidem Societati per sanctam Sedem Apostolicam concessa fuerunt, ab omni hoste visibili et invisibili semper et ubique in hoc saeculo liberetur, et in exitu suo ab ipsa beatissima Virgine Maria Dei Genitrice, tibi plenus (plena) bonis operibus praesentari mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergat aqua benedicta.

V.

ORDO BENEDICENDI, ET RECIPIENDI

SCAPULARE B. V. M. DE MONTE CARMELO.

Persona receptura genuflectat ante Altare majus, vel B. Virginis, et tunc Sacerdos habens potestatem v. g. vi Confraternitatis incipiat Antiphonam:

Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui: secundum Nomen tuum, sic et laus tua in fines terrae, justitia plena est dextera tua.

Psalmus 47.

Magnus Dominus et laudabilis nimis: * in civitate Dei nostri in monte sancto ejus.

Fundatur exultatione universae terrae mons Sion, * latera Aquilonis, civitas Regis magni.

Deus in domibus ejus cognoscetur: * cum suscipiet eam.

Quoniam ecce Reges terrae congregati sunt: * convenerunt in unum.

Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt: commoti sunt; * tremor apprehendit eos.

Ibi dolores ut parturientis: * in spiritu vehementi conteres naves Tharsis.

Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum; in civitate Dei nostri: * Deus fundavit eam in aeternum.

Suscepimus Deus misericordiam tuam: * in medio templi tui.

Secundum Nomen tuum Deus, sic et laus tua in fines terrae: * justitia plena est dextera tua.

Laetetur mons Sion, et exultent filiae Judae: * propter judicia tua Domine.

Circumdate Sion, et complectimini eam: * narrate in turribus ejus.

Ponite corda vestra in virtute ejus: * et distribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera.

Quonium hic est Deus, Deus noster in aeternum, et in saeculum saeculi: * ipse reget nos in saecula.

Psalmus 132.

Ecce quam bonum, et quam jucundum: * habitare fratres in unum.

Sicut unguentum in capite: * quod descendit in barbam, barbam Aaron.

Quod descendit in oram vestimenti ejus, sicut ros Hermon, * qui descendit in montem Sion.

Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem: * et vitam usque in saeculum.

Kyrie eleison etc. Pater noster etc.

℣. Et ne nos inducas etc.

℣. Salvum fac servum tuum. ℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Mitte ei auxilium de Sancto. ℟. Et de Sion tuere eum.

℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Domine exaudi Orationem meam etc.

℣. Dominus vobiscum etc.

ORATIO.

Suscipiat te Deus in numero fidelium suorum, et nos licet indigni suscipimus te in Orationibus nostris: concedat tibi Deus per unigenitum suum Mediatorem Dei et hominum tempus bene vivendi, locum bene agendi, constantiam bene perseverandi. Et sicut nos hodie fraterna charitas spiritualiter conjungit in terris, ita divina pietas, quae dilectionis est auctrix et amatrix nos cum fidelibus suis conjungere dignetur in coelis. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus:

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et hunc famulum tuum, quem in tuo sancto Nomine ad participationem omnium bonorum spiritualium, et fraternitatem recepimus hujus sacrae Religionis beatae Genitrici tuae Virgini Mariae specialiter dedicatae, bene†dicere digneris, et praesta, ut te largiente devotus in Ecclesia persistere valeat cum augmento virtutum, atque suffragiis hujusmodi sacri Ordinis adjutus vitam percipere mereatur aeternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde conversus ad habitum dicat:

℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam etc.

℣. Scapulis suis obrumbrabit tibi. ℟. Et sub pennis ejus sperabis.

℣. Domine Deus virtutum converte nos.

℟. Et ostende faciem tuam: et salvi erimus.

Oremus:

Suppliciter te, Domine, rogamus, ut super hunc habitum servo tuo imponendum Bene†dictio tua benigna descendat, ut sit benedictus, atque divina virtute procul pellantur hostium nostrorum visibilium et invisibilium nequissima. Amen.

Oremus:

Caput omnium fidelium, Deus, et humani generis Salvator, hunc habitum, quem propter tuum, tuaeque Genetricis Virginis Mariae de monte Carmeli amorem atque devotionem servus tuus est delaturus, dextera tua sancti†fica, et hoc, quod per illum mystice datur intelligi, tua semper custodia, corpore et animo ad remunerationem perpetuam cum Sanctis omnibus felicissime perducatur. Qui vivis etc.

Oremus:

Creator, Conservator, et Salvator omnium, Largitor humanae salutis, Deus, Dator gratiae spiritualis, Bene†dictionem tuam super hunc habitum immitte: ut, qui eum gestaverit, coelesti virtute munitus, fidem integram, spem firmam et charitatem desideratam teneat, et a te nunquam separari permittas. Qui vivis etc.

Deinde aspergat aquam benedictam super habitum, et postea ipsum imponat personae recipienti, dicens:

Accipe Vir devote habitum benedictum, precamurque sanctissimam Virginem, ut ejus meritis illum perferas sine macula, et te ab omni adversitate defendat, atque ad vitam perducat aeternam. ℟. Amen.

Deinde dicat:

Ego, ex potestate mihi tradita, et concessa, suscipio, ac recipio te ad participationem omnium Orationum, Disciplinarum, Precum, Suffragiorum, Eleemosynarum, Jejuniorum, Vigiliarum, Missarum, Horarum Canonicarum, ac caeterorum bonorum spiritualium, quae passim die noctuque (cooperante misericordia JEsu Christi) a Religiosis totius Ordinis Carmelitarum peraguntur. In nomine Patris etc.

Postea signo Crucis benedicens Personam recipientem, dicat:

Benedicat te Conditor coeli et terrae, Deus omnipotens, qui te eligere dignatus est ad B. V. Mariae de monte Carmeli Societatem et Confraternitatem, quam precamur, ut in hora obitus tui conterat caput serpentis, qui tibi est adversarius, et tanquam victor palmam, coronam sempiternae haereditatis consequaris. Per Christum Dominum nostrum etc.

Deinde aspergatur Persona recipiens aqua benedicta.

VI.

BENEDICTIO CILICII, CINGULI,

VEL ALTERIUS INDUMENTI AD POENITENDUM.

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Omnipotens et misericors Deus, bene†dicere digneris hoc cilicium (cingulum *vel* indumentum) quo famuli tui pro humilitate, et poenitudinis suae devotione indui appetunt: ut sicut Ninivitarum populo in cinere et cilicio poenitenti pepercisti; ita, et hic famulus humiliationis et professionis suae, hoc indutus vestimento, a te Creatore suo omnium incrementa virtutum, et cunctorum indulgentiam consequatur delictorum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

VII.

BENEDICTIO VEXILLI ECCLESIASTICI,

PRO TEMPLIS, ET PROCESSIONIBUS.

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Domine JEsu Christe, cujus Ecclesia est velut castrorum acies ordinata, Bene†dicere digneris hoc vexillum, ut omnes sub eo tibi Domino Deo nostro exercituum militantes, per intercessionem Sancti N. Patroni, inimicos suos invisibiles, in hoc saeculo superare, et post

victoriam in coelis triumphare mereantur, per te, JEsu Christe, qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Aspergitur aqua benedicta.

VIII.

BENEDICTIO METALLI

AD CONFLANDAM CAMPANAM.

Sacerdos ab artifice monitus mox aperiendum esse fornacis foramen, quo metallum effluat, confert se ad locum fornacis fusoriae, ibique stans dicit:

Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Deus, cujus Spiritu Ecclesia congregatur, et a quo certa signa populi convocandi petuntur, ut in fidelium cordibus, Spiritu sancto cooperante, divina charitas accendatur, igneum nobis tuum auxilium ostende; et quod metalli fusione perfici debet, nulla hostili incursione turbetur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Antiph. Psallite Domino.

Psalmus 97.

Cantate Domino canticum novum: * quia mirabilia fecit.

Salvavit sibi dextera ejus: * et brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dominus salutare suum: * in conspectu gentium revelavit justitiam suam.

Recordatus est misericordiae suae: * et veritatis suae domui Israel.

Viderunt omnes termini terrae: * salutare Dei nostri.

Jubilate Deo omnis terra: * cantate, et exultate, et psallite.

Psallite Domino in cithara, in cithara et voce Psalmi: * in tubis ductilibus, et voce tubae corneae.

Jubilate in conspectu regis Domini: moveatur mare, et plenitudo ejus: * orbis terrarum, et qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu Domini: * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in justitia: * et populos in aequitate.

Gloria Patri etc. Sicut erat etc.

Antiph. Psallite Domino in voce Psalmi in tubis ductilibus. *Tempore Paschali additur:* Alleluja.

℣. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua. ℟. Et Sancti tui benedicant tibi.

Oremus:

Per intercessionem beatae Mariae semper Virginis et omnium Sanctorum, effunde, quaesumus, Domine, Benedictionem tuam † super opus cultui tuo praeparatum: et praesta, ut signum fiat ad congregandos fideles in laudem et gloriam Nominis tui. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tum aspergit metallum aqua benedicta in modum Crucis per fornacis fenestram; conflata autem Campana dicetur: Te Deum etc.

Postea Sacerdos dicit: ℣. Sit Nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc, et usque in saeculum.

Oremus:

Quaesumus, omnipotens et misericors Deus, ut per id, quod de tua Benedictione percipimus, ad gratias Majestati tuae jugiter referendas excitemur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

IX.

BENEDICTIO CANDELARUM

EXTRA DIEM PURIFICATIONIS B. V. MARIAE.

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Domine JEsu Christe, Fili Dei vivi, bene†dic candelas istas supplicationibus nostris; infunde eis, Domine, per virtutem sanctae Cru†cis benedictionem coelestem, qui eas ad repellendas tenebras humano generi tribuisti: talemque Benedictionem signaculo sanctae Crucis † accipiant, ut quibuscunque locis accensae sive positae fuerint, discedant principes tenebrarum, et contremiscant, et fugiant pavidi cum omnibus ministris suis ab habitationibus illis: nec praesumant amplius inquietare, aut molestare servientes tibi omnipotenti Deo; qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

Postea aspergantur aqua benedicta.

X.

BENEDICTIO CANDELAE
PRO MORIBUNDIS.

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*
℣. Domine exaudi etc. *ut supra.*
℣. Dominus vobiscum etc. *ut supra.*

Oremus:

Domine JEsu Christe, Fili Dei vivi, qui dixisti: sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris: bene†dicere dignare

candelam istam, et infunde ei per virtutem S. Cru†cis Benedictionem coelestem, talemque Benedictionem signaculo S. Crucis accipiat, ut quibuscunque in locis accensa, aut a quibuscunque infirmis in manibus portata fuerit, discedant et contremiscant principes tenebrarum, et fugiant pavidi cum omnibus ministris suis. Nec praesumant inquietare aut molestare, aut tentare famulos tuos, qui eam ob honorem tuum in manibus suis gestaverint. Tu Domine, qui es lumen ad revelationem gentium, et illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, digneris illuminare intellectum eorum, qui lumen hoc devote susceperint: ut cognoscant te solum verum Deum, et Patrem tuum coelestem. Qui cum eo et Spiritu sancto vivis, et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Aspergatur.

XI.

BENEDICTIO THURIS SEU INCENSI

PRO FUMIGATIONE CONTRA MALEFICIA.

℟. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Domine Deus omnipotens, cui assistit exercitus Angelorum cum tremore, quorum servitium spirituale et igneum esse cognoscitur,

dignare respicere, bene†dicere, et sancti†ficare hanc creaturam incensi; ut omnes languores, omnesque infirmitates atque insidiae inimici odorem ejus sentientes effugiant, et separentur a plasmate tuo; ut nunquam laedatur a morsu antiqui serpentis, quod pretioso Filii tui sanguine redemisti. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

ALIA BENEDICTIO THURIS SEU INCENSI,

PRO FUMIGATIONE CONTRA MALEFICIA.

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Per intercessionem B. Michaëlis Archangeli stantis a dextris Altaris incensi, et omnium Electorum suorum, incensum istud dignetur Dominus bene†dicere, et in odorem suavitatis accipere. Sit, quaesumus Domine, famulis tuis, pretioso Sanguine tuo redemptis, defensio perpetua contra omnes spiritus malignos, et omnes incantationes, praestigia et diabolicas vexationes. Et in quocunque loco odor hujus incensi fuerit, nullum maleficium, nullaque molestatio diabolica possit perdurare. Sed statim tua immensa po-

tentia et virtute tollatur, et abigatur per signum S. Crucis tuae. Qui vivis etc.

Aspergatur aqua benedicta.

XII.

BENEDICTIO AQUAE BAPTISMALIS

EXTRA SABBATUM SANCTUM, VEL VIGILIAM PENTECOSTES.

Ut in Novo Rituali pag. 91.

XIII.

BENEDICTIO NOVI BAPTISTERII,

SEU LAPIDIS FONTIUM.

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Omnipotens sempiterne Deus, Baptisterium hoc salutis aeternae, coelesti visitationi dedicatum, Spiritus tui illustratione sancti†fica: ut quotiescunque, in fonte isto lavandi, trina ablutione fuerint aspersi, purgationem, et omnium delictorum suorum indulgentiam consequantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus:

Multiplica, Domine, Bene†dictionem tuam, et Spiritus sancti munere fidem nostram cor-

robora; ut, qui in haec fluenta descenderint, in libro vitae scribi mereantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea aspergatur aqua benedicta.

XIV.

BENEDICTIO CEREI PASCHALIS

EXTRA SABBATUM SANCTUM, SI ALIQUO CASU DEFECERIT.

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Domine Deus, Pater omnipotens, lux vera, et fons omnium luminum; benedic † et sanctifica Cereum istum, ut ab ejus lumine accendamur, atque illuminemur igne claritatis tuae: et sicut illuminasti Moysen exeuntem de Aegypto, ita illumines corda et sensus nostros, ut ad vitam et lucem aeternam pervenire mereamur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tum benedicuntur quinque grana incensi Cereo in modum Crucis infigenda.

Veniat, quaesumus omnipotens Deus, super hoc incensum larga tuae Benedictionis infusio; *(hic celebrans ter aspergit aqua benedicta, et ter incensat grana incensi, tum ea infigit in*

modum Crucis in Cereo et prosequitur) ut Christus resurgens ex mortuis nobis sit lumen indeficiens in illuminationem peregrinationis nostrae, et odor vitae in vitam aeternam, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Sacerdos aspergit Cereum aqua benedicta, accendit et extinguit.

SECTIO V.

BENEDICTIONES
EXTRAORDINARIAE RERUM
PRO USU NON SACRO.

I.
BENEDICTIO PANIS
QUOCUNQUE TEMPORE FACIENDA.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum, et terram.
℣. Domine exaudi etc.
℣. Dominus vobiscum etc.

Oremus:

Domine JEsu Christe, panis Angelorum, panis aeternae vitae, benedicere † dignare pa-

nem istum, sicut benedixisti quinque panes in deserto: ut omnes ex eo gustantes, inde corporis et animae percipiant salutem. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

ALIA BENEDICTIO PANIS.

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Domine sancte, Pater omnipotens aeterne Deus, * bene†dicere digneris hunc panem tua sancta spirituali benedictione: ut sit omnibus sumentibus salus mentis et corporis, atque contra omnes morbos, et universas inimicorum insidias tutamen. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, panem vivum, qui de coelo descendit, et dat vitam, et salutem mundo: et tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Aspergat aqua benedicta.

* *Si haec Benedictio fiat sub invocatione alicujus Sancti, hic addatur:* Intercedente Sancto N. *vel* meritis et intercessione Sancti N. *Idem observandum circa sequentem, aliasque similes Benedictiones.*

II.

BENEDICTIO OLEI SIMPLICIS.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.

EXORCISMUS.

Exorcizo te creatura olei per Deum Patrem † omnipotentem, qui fecit coelum et terram, mare et omnia, quae in eis sunt. Omnis virtus adversarii, omnis exercitus diaboli, et omnis incursus, omne phantasma satanae eradicare et effugare ab hac creatura olei, ut fiat omnibus, qui eo usuri sunt, salus mentis et corporis, in nomine Dei Patris † omnipotentis, et JEsu † Christi Filii ejus Domini nostri, et Spiritus sancti † Paracliti, et in charitate ejusdem Domini nostri JEsu Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi Orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Domine Deus omnipotens, cui astat exercitus Angelorum cum tremore, quorum servitium spirituale cognoscitur; dignare respicere,

et bene†dicere, et sancti†ficare hanc creaturam olei, quam ex olivarum succo eduxisti, et ex eo infirmos inungi mandasti, quatenus sanitate percepta, tibi Deo vivo, et vero gratias agerent; praesta quaesumus: ut hi, qui hoc oleo, quod in tuo Nomine bene†dicimus, usi fuerint, ab omni languore, omnique infirmitate, atque cunctis insidiis inimici liberentur, et cunctae adversitates separentur a plasmate tuo, quod pretioso sanguine Filii tui redemisti: ut nunquam laedatur a morsu serpentis antiqui. Per eundem Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate etc.

Aspergat oleum aqua benedicta.

III.

BENEDICTIO HERBARUM

QUOCUNQUE TEMPORE FACIENDA.

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Descendat Bene†dictio Patris, et Filii, et Spiritus sancti super hanc creaturam herbarum; ut, quicunque ex eis sumpserint, corporis et animae salute potiantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

IV.

BENEDICTIO FRUCTUUM

IN GENERE.

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Deus, qui hos terrae fructus tua jussione et providentia progigni voluisti, nunc etiam eosdem bene†dicere, et sancti†ficare digneris; ut, quicunque ex eis in tuo sancto Nomine gustaverint, incolumes esse valeant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

V.

BENEDICTIO

AD QUODCUNQUE COMESTIBILE, VEL POTABILE QUOVIS TEMPORE.

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Bene†dic Domine creaturam istam N. ut sit Remedium salutare generi humano, et praesta per invocationem Nominis tui sancti, ut, quicunque ex ea cum gratiarum actione sumpserint, corporis sanitatem, et animae tutelam

percipiant, per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

IV.

BENEDICTIO MEDICINAE

CUJUSVIS PRO HOMINIBUS.

Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Summe Deus, qui summa et media, imaque custodis, qui omnem creaturam intrensecus ambiendo concludis, sancti†ficare et bene†dicere digneris hanc Medicinam, et Benedictionem tuam super eam infundere digneris, ut per tuam sanctissimam Virtutem et copiosissimam Benedictionem, per signum S. Crucis impertitam, omnis virtus diabolica ab hac creatura, quae hanc Medicinam sumptura est, expellatur, et annihiletur, tantam virtutem merito Passionis tuae, et vivificae Cru†cis recipiat, ut omnes immundos spiritus, incantationes, ligaturas, signaturas, facturas, et omnia maleficia possit expellere, et divertere a famulo tuo, qui ea utetur, exhibeatque ei plenum sanitatis effectum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus:

Benedico te, creatura medicinae, in nomine altissimi Patris †, et Filii †, et Spiritus † sancti, qui te creavit pro tutela humani generis: et rogamus te, Domine Deus noster, ut haec creatura hujus medicinae famulo tuo, qui ea utetur, in nomine SS. Trinitatis efficiatur salutare remedium, sitque perfecta medicina in visceribus ejus: qui in Trinitate perfecta vivis et regnas, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Aspergatur.

VII.

BENEDICTIO ANIMALIUM

CONTRA PESTEM, SEU INFIRMITATEM.

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Misericordiam tuam, Domine, supplices exoramus, ut haec animalia, quae gravi infirmitate vexantur, in Nomine atque tuae Bene†dictionis virtute sanentur. Extinguatur in eis omnis diabolica potestas, ne ulterius aegrotent; tu eis, Domine, sis sustentaculum vitae et remedium sanitatis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

VIII.

BENEDICTIO SALIS, VEL MEDICINAE

PRO ANIMALIBUS.

Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Deus invisibilis et inaestimabilis, pietatem tuam per sanctum ac tremendum Filii tui Nomen suppliciter deprecamur, ut in hac creatura salis Bene†dictionem et potentiam invisibilis operationis infundas, ut animalia, quae necessitatibus humanis tribuere dignatus es, cum ex eo acceperint vel gustaverint, Bene†dictio, et Sancti†ficatio tua ab omni aegritudinis et laesionis incursu te protegente custodiat. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus:

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, defende, quaesumus, omnia animalia nostra per hanc creaturam salis: defende piissime Deus a rapacibus, a latronibus, a bestiis, a scabie, a morbo, a morsibus, a laqueis, a diabolo, ab infirmitate, ab invidia et malitia pravorum, a malis hominibus; et ab omnibus malis salvare et pecudes, et animalia, quae morbis et infirmitatibus vexantur, per hanc creaturam

salis, et per invocationem sancti Nominis tui sanare digneris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

IX.

BENEDICTIO PABULI ANIMALIUM.

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Antiph. Benedicat Dominus hanc creaturam pabuli, salis, hordei, avenae, siliginis, Amen.

Psalmus 125.

In convertendo Dominus captivitatem Sion: * facti sumus sicut consolati.

Tunc repletum est gaudio os nostrum: * et lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter gentes: * magnificavit Dominus facere cum eis.

Magnificavit Dominus facere nobiscum, * facti sumus laetantes.

Converte Domine captivitatem nostram, * sicut torrens in austro.

Qui seminant in lacrymis, * in exultatione metent.

Euntes ibant et flebant, * mittentes semina sua.

Venientes autem venient cum exultatione, * portantes manipulos suos.

Gloria Patri etc.

Antiph. Benedicat etc. *ut supra.*

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine exaudi Orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Domine Deus omnipotens, Creator coeli et terrae, Rex regum, et Dominus dominantium: exaudi nos famulos tuos clamantes et orantes ad te: qui omnia de nihilo creasti, et hoc pabulum cum caeteris creaturis ad usus animalium, et ad eorum nutrimentum fecisti: quae quidem animalia in adjutorium et sustentationem hominum creasti: te humiliter deprecamur, ut has creaturas avenae, salis, et caetera, quae ad usus animalium et sanitatem eorum, sive in terra, sive in aqua degentium, per invocationem sancti Nominis tui, et per intercessionem beatae

Mariae semper Virginis Genitricis tuae, et per preces omnium Sanctorum tuorum bene†dicere et sancti†ficare digneris; ut animalia, quae ex eis gustaverint, sanitatem integraliter recipiant, per te JEsu Christe, cujus solo verbo omnia restaurantur, Salvator mundi, Rex aeternae gloriae, qui in Trinitate perfecta cum Patre et Spiritu sancto vivis, et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Oremus:

Deus, qui temporibus Eliae Prophetae coelum a nubibus restringendo clausisti, et rursum aperiendo te mirabilem ostendisti; exaudi preces plebis tuae, ut per Unigenitum tuum, quem consubstantialem et coaequalem tibi in Divinitate credimus, et per Spiritum sanctum Paraclitum, quem ab utroque procedere confitemur, bene†dicas, et sancti†fices hunc salem, avenam, hordeum et siliginem, ut, quaecunque animalia ex eis gustaverint, adjutorium sanitatis et incolumitatis recipiant: per te Domine sancte Pater, qui cum Filio et Spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Manu formans signum Crucis super pabulum dicit: Benedictio Dei omnipotentis, Patris, † et Filii, et Spiritus sancti, descendat

super hanc creaturam avenae, hordei, siliginis, et salis etc. ℟. Amen.

Aspergat omnia aqua benedicta.

X.

BENEDICTIO STABULORUM

PRO EQUIS, BOBUS, ET ALIIS ARMENTIS.

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, ut sicut domos Hebraeorum in Aegypto sanguine agni aspersas custodisti in eorum exitu de Aegypto ab Angelo percutiente; ita mittere digneris sanctum Angelum tuum de coelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat hoc stabulum (*seu* locum istum) a maleficiis, fraudibus, et ab omnium inimicorum insidiis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus:

Bene†dic, Domine, locum istum, et defende illum cum omnibus jumentis (*vel* pecoribus) ejus ab omni mala tempestate, ab igne et infirmitate, ab ira ventura, et ab omnibus diabolicis tribulationibus et insidiis; et tu Deus, qui unigenitum Filium tuum, ac Redemptorem

nostrum in jumentorum stabulo nasci, et collocari voluisti, ejus esse velis habitator, et custos, eumque ab omni malo custodire digneris. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

IX.

BENEDICTIO SEMINUM

PRO AGRIS SEMINANDIS.

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Te Domine, rogamus et petimus, ut haec segetum, fructuum, olerum, leguminum, et herbarum semina oculis tuis serenis aspicias, sicut testatus es Moysi famulo tuo in terra Aegypti dicens: Dic filiis Israel, cum ingressi fuerint terram promissionis, quam eis Dominus Deus daturus est, primitias fructuum suorum offerant Sacerdotibus, et erunt benedicti; ita et nos oramus, Domine auxilium misericordiae tuae super haec semina, ex quibus fructus de terra suscipere speramus, ut non grando illa succidat, non turbo subvertat, non tempestas detundat, non aëris aut aquarum inundatio exterminet; sed tua sancta † Benedictione praemunita, cum fructu largiter pro nostrorum corporum, vel animalium usu ad plenissimam

maturitatem perducere digneris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat aqua benedicta. Et si una tantum seminis species benedicatur, reliquae omittuntur.

XII.

BENEDICTIO TERRAE SEMINATAE.

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Benedicat nos Deus, Deus noster, et terrae nostrae ubertatem concedat; in centuplum amplificet fructus ejus, ut viventes in exultatione manipulos nostros colligamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergat aqua benedicta.

XIII.

BENEDICTIO COMMUNIS

SUPER FRUGES ET VINEAS.

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Oramus pietatem tuam, omnipotens Deus, ut has primitias creaturae tuae, quas aëris et

pluviae temperamento nutrire dignatus es, Bene†dictionis tuae imbre perfundas, et fructus terrae tuae usque ad maturitatem perducas; tribuas quoque populo tuo de tuis muneribus tibi semper gratias agere, ut a fertilitate terrae esurientium animas bonis affluentibus repleas, et egenus et pauper laudent Nomen gloriae tuae. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergat illas aqua benedicta.

ALIA LONGIOR BENEDICTIO
COMMUNIS CAMPORUM, ALPIUM, PRATORUM, PASCUORUM etc.

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Deus, a quo omne bonum sumit initium, et semper ad potiora progrediens percipit incrementum: concede, quaesumus, supplicantibus nobis, ut quod ad laudem Nominis tui inchoare aggredimur, aeterno tuae sapientiae munere ad terminum perducatur. Per Dominum nostrum JEsum Christum, Filium tuum etc. ℟. Amen.

ORATIO.

Omnipotens aeterne Deus, qui Sacerdotibus tuis prae caeteris gratiam conferre dignatus es,

ut quidquid in tuo Nomine ab iis digne et perfecte agitur, a te fieri credatur: quaesumus clementiam tuam, ut quod modo visitaturi sumus, tu quoque visites, et quod benedicturi sumus, tu quoque bene†dicas, et ad ea, quae acturi sumus, tuae potentiae dexteram extendas: sit ad humilitatis nostrae ingressum, Sanctorum tuorum meritis, et intercessionibus fuga daemonum, et tuorum ingressus Angelorum. Per Christum Dominum etc.

Dicantur Litaniae omnium Sanctorum, et post Versum: ut animas nostras etc. *Sacerdos surgens dicat:*

Ut hos campos, alpes, et pascua (*vel* agros, *vel* prata etc.) bene†dicere digneris. Te rogamus audi nos.

Ut hos campos (*vel* alpes, *vel* pascua, *vel* agros, *vel* prata etc.) bene†dicere, et sancti†ficare digneris. Te rogamus audi nos.

Ut hos campos (*vel* alpes, *vel* pascua etc.) bene†dicere, sancti†ficare, conservare †, et ab omni daemonum infestatione custodire digneris. Te rogamus audi nos.

Ut fulgura, grandines, saevas tempestates, et noxias aquarum inundationes a loco isto clementer expellere et effugare digneris. Te rogamus audi nos.

Deinde prosequitur, et absolvit Litanias.

Ut fructus terrae dare etc. *postea*

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster etc. *secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem etc.
℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur,
℟. Et renovabis faciem terrae.
℣. Dominus dabit benignitatem.
℟. Et terra nostra dabit fructum suum.
℣. Domine exaudi Orationem meam etc.
℣. Dominus vobiscum etc.

Oremus:

Pietatem tuam, omnipotens Deus, humiliter imploramus, ut hos campos (*vel* alpes, *vel* prata, *vel* pascua) quos aëris temperamento nutrire dignatus es, tuae Benedictionis imbre perfundere digneris, tribuens populo tuo, de tuis muneribus, tibi semper gratias agere, et pulsa sterilitate terrae, esurientium animos bonis affluentibus replere, ut egeni et pauperes laudent Nomen gloriae tuae in saecula. ℟. Amen.

Postea Sacerdos circumeat campos, vel agros, vel pascua, quantum licet, aspergendo et recitando aliquos Psalmos graduales; post ultimum Gloria Patri dicitur:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem etc.
℣. Domine exaudi etc.
℣. Dominus vobiscum etc.

Oremus:

Bene†dic, quaesumus Domine, et sancti†fica hos campos (*vel* alpes, *vel* pascua, *vel* prata etc.) et omnem ubertatem eis concede in centuplum, et multiplica fructus ejus, ut viventes servi tui in exultatione manipulos colligant, et te semper laudent, et benedicant. Per Dominum nostrum JEsum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Haec Benedictio etiam adhiberi potest pro agris solis.

XIV.

BENEDICTIO AGRORUM

CONTRA NOXIA ANIMALCULA, AVES, MURES, VERMES, SERPENTES, LOCUSTAS, FRUCTUS TERRAE VASTANTES.

℣. Adjutorium nostrum etc. ℟. Qui fecit coelum etc.
℣. Domine exaudi etc.
℣. Dominus vobiscum etc.

Oremus:

Preces nostras, quaesumus Domine, clementer exaudi: ut, qui juste pro peccatis nostris affligimur: et harum noxiarum avium (murium, vermium, locustarum) persecutionem patimur, pro tui Nominis gloria ab ea misericorditer liberemur, ut procul a tua potentia expulsae (expulsi) nulli noceant, et hos agros (prata, vineas, aquas) in tranquillitate et quiete dimittant, quatenus ex eis provenientia tuae Majestati deserviant, et nostrae necessitati absque nocumento subveniant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

EXORCISMUS.

Exorcizo et adjuro vos, pestiferi vermes (mures, locustae, aves) noxia animantia, per Deum Pa†trem omnipotentem, per JEsum † Christum Filium ejus Dominum nostrum, et per Spiritum † sanctum, ab utroque procedentem, et per intercessionem beatae Mariae Virginis, et Sancti N. (*ponatur Patronus loci*) ut confestim recedatis ab his agris (campis, pratis, hortis:) nec amplius in eis habitetis, sed ad illa, et talia loca transeatis, ubi nullis Dei servis nocere possitis, pro parte omnipotentis Dei, et totius Curiae coelestis, Sancti N. et Ecclesiae sanctae Dei, vos maledicens, ut, quocunque ieritis, sitis maledicti, deficientes de die in diem

in vos ipsos, et decrescentes, ita ut reliquiae in vobis, nullo in loco inveniantur, nisi necessariae ad salutem et usum hominum, quod praestare dignetur, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

ALIUS EXORCISMUS.

Exorcizo et adjuro vos daemones per Deum Pa†trem omnipotentem, qui in deserto per quadraginta annos cibavit filios Israel manna, et ex petra aquam eduxit eis ad bibendum, ut statim ab his agris (campis, vineis, pratis, hortis, aquis) omne, quod noxium est, amoveatis. Adjuro etiam vos animalia, et quaecunque per maleficium diaboli noxia estis hominibus, et bonis eorum, per Deum Patrem, omnipotentem, et per Filium ejus, et per Spiritum sanctum Paraclitum, ut hinc discedatis et nocere desinatis graminibus (frugibus, piscibus etc.) et dissipemini: et omnis virtus et potestas nocendi vobis adimatur, et interimat vos dextera Dei omnipotentis per invocationem Nominis sui, et per Passionem et mortem JEsu Christi Filii sui, et per merita beatissimae Virginis Mariae, et omnium Sanctorum et Sanctarum coelestis Curiae. ℟. Amen.

Oremus:

Omnipotens sempiterne Deus, Remunerator omnium bonorum, et poenitentium peccatorum

maximus miserator, in cujus Nomine omnia genua flectuntur, coelestium, terrestrium, et infernorum. Concede nobis propitius, ut, quod de gratia et misericordia tua confisi agimus, per eandem gratiam et virtutem tuam efficacem consequatur effectum; ut per tuam clementiam ab hac peste liberati, Majestati tuae congruas referamus gratiarum actiones. ℟. Amen.

Aspergit agros, prata, vel vineas aqua benedicta.

Si haec Benedictio agrorum etc. contra noxia animalcula fiat processionaliter cum Reliquia seu sic dicto Baculo S. Magni, tunc Sacerdos Reliquiam hanc durante processione in manibus gerens incedit: cum vero ad locum Benedictionis devenerit, reponit eam super mensam vel alium convenientem locum ad id paratum, aut si hujus copia desit, Ministro a principio usque ad finem Benedictionis tenendam tradit. Sacerdos vero observat omnia ut supra Sect. 2. §. 19. in Benedictione agrorum etc. tempore vernali et aestivali, exceptis Versibus et Orationibus, quae una cum Exorcismis et reliquis dicuntur, ut sequitur.

POST EVANGELIUM PRIMUM.

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine exaudi Orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Preces nostras, quaesumus Domine, clementer exaudi: ut qui juste pro peccatis nostris affligimur, et harum noxiarum avium (murium, vermium, locustarum) persecutionem patimur, pro tui Nominis gloria per merita et intercessionem S. Magni Abbatis misericorditer liberemur, ut procul a tua potentia expulsae (expulsi) nulli noceant, et hos agros (prata, vineas, aquas) in tranquillitate, et pietate dimittant, quatenus ex eis provenientia, tuae Majestati deserviant, et nostrae necessitati absque nocumento subveniant. Per Dominum nostrum JEsum Christum etc.

Exorcismus.

Exorcizo et adjuro vos, pestiferi vermes (mures, locustae, aves) noxia animantia, per Deum Pa†trem omnipotentem, per JEsum † Christum Filium ejus Dominum nostrum, et per Spiritum † sanctum ab utroque procedentem, et per intercessionem beatae Mariae Virginis, et sancti Magni Abbatis, ut confestim recedatis ab his agris (campis, pratis, hortis)

nec amplius in eis habitetis, sed ad illa et talia loca transeatis, ubi nullis Dei servis nocere possitis, pro parte omnipotentis Dei, et totius Curiae coelestis, sancti Magni Abbatis, et Ecclesiae sanctae Dei, vos maledicens, ut quocunque ieritis, sitis maledicti, deficientes de die in diem in vos ipsos, et decrescentes, ita ut reliquiae de vobis nullo in loco inveniantur, nisi necessariae ad salutem et usum hominum, quod praestare dignetur, qui venturus est judicare vivos et mortuos et saeculum per ignem. ℟. Amen.

℣. Sit Nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc, et usque in saeculum.
℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum, et terram.

Tunc elevata manu dextra format unicam Crucem, dicendo:

Benedictio Dei omnipotentis Patris †, et Filii, et Spiritus sancti, descendat super hos agros (vineas aut hortos) et eorum (vel earum) fructus, et maneat semper. ℟. Amen.

Aspergantur agri (vineae, aut horti) ter in modum Crucis aqua benedicta.

POST EVANGELIUM SECUNDUM.

℣. Ostende nobis Domine misericordiam etc.
℣. Domine exaudi etc.
℣. Dominus vobiscum etc.

Oremus:

Omnipotens sempiterne Deus, Remunerator omnium bonorum, et poenitentium peccatorum maximus Miserator: in cujus Nomine omnia genua flectuntur, coelestium, terrestrium et infernorum. Concede nobis propitius, ut, quod de gratia et misericordia tua confisi agimus, per eandem gratiam, et virtutem tuam, intercedente S. Magno Abbate, efficacem consequatur effectum; ut per tuam clementiam ab hac peste liberati, Majestati tuae congruas referamus gratiarum actiones. Per Dominum nostrum JEsum Christum etc.

Exorcismus.

Exorcizo et adjuro vos daemones per Deum Pa†trem omnipotentem, qui in deserto per quadraginta annos cibavit filios Israel manna, et ex petra aquam eduxit eis ad bibendum, ut statim ab his agris (campis, vineis, pratis, hortis, aquis) omne, quod noxium est, amoveatis. Adjuro etiam vos animalia, et quaecunque per maleficium diaboli noxia estis hominibus, et bonis eorum per Deum Patrem omnipotentem, et per Filium ejus, et per Spiritum sanctum Paraclitum, ut hinc discedatis et nocere desinatis graminibus (frugibus, piscibus etc.) et dissipemini: et omnis virtus et potestas nocendi vobis adimatur, et interimat vos dextera Dei

omnipotentis per invocationem Nominis sui, et per Passionem et mortem JEsu Christi Filii sui, et per merita beatissimae Virginis Mariae et omnium Sanctorum et Sanctarum coelestis Curiae. ℟. Amen.

℣. Sit nomen Domini benedictum, *cum reliquis ut supra pag. 155. usque ad Benedictionem, et aspersionem aquae benedictae inclusive.*

POST EVANGELIUM TERTIUM.

℣. Ostende nobis Domine misericordiam etc.
℣. Domine exaudi etc.
℣. Dominus vobiscum etc.

Oremus:

Oramus te Domine Deus noster, ut per merita, et intercessionem S. Magni Abbatis hos agros, aut vineas clementer respicere digneris: tuamque super nos mittere Benedictionem †, ut non grando surripiat, non vis tempestatis detruncet, non aestus exurat, non animalia noxia corrodant, neque inundatio pluviae exterminet, sed fructus incolumes, uberesque usui nostro ad plenam maturitatem perducas. Per Dominum nostrum JEsum Christum etc. ℟. Amen.

Exorcismus.

Exorcizo, et adjuro vos pestiferi vermes etc. *ut supra post Evangelium primum pag. 154 et 155.*

℣. Sit nomen Domini benedictum, *cum reliquis ut supra, usque ad Benedictionem et aspersionem aquae benedictae inclusive.*

POST EVANGELIUM ULTIMUM.

℣. Ostende nobis Domine misericordiam etc.
℣. Domine exaudi etc.
℣. Dominus vobiscum etc.

Oremus:

Deus, qui famulorum tuorum Moysis et Aaronis ministerio ab Aegyptis pro gloria Nominis tui locustas, bruchos, cinifes, aliasque plagas, scilicet justitiae in peccatores flagella avertisti, a filiis quoque Israel prohibuisti, intercedente S. Magno Abbate a populo tuo in te credente similes calamitates aufer, ut potentiam tuam et beneficentiam praedicemus. Per Dominum nostrum JEsum Christum etc.

Exorcismus.

Exorcizo, et adjuro vos daemones per Deum Patrem etc. *ut supra post Evangelium secundum pag. 156 et 157.*

℣. Sit nomen Domini benedictum, *cum reliquis ut supra pag. 155. usque ad Benedictionem et aspersionem aquae benedictae inclusive.*

XV.

BENEDICTIO NOVI PUTEI.

Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Deprecamur, Domine, clementiam pietatis tuae, ut aquam putei hujus coelesti Benedictione † sanctifices, et ad communem vitam concedas salubrem, et ita ex eo fugare digneris omnem diabolicae tentationis incursum, ut, quicunque ex eo hauserit, biberitve, vel in quibuslibet necessariis usibus hausta aqua usus fuerit, totius virtutis ac sanitatis dulcedine perfruatur, ut tibi semper Sanctificatori omnium Domino gratias agere mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergatur puteus aqua benedicta.

XVI.

BENEDICTIO NOVAE NAVIS.

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et bene†dic navem istam dextera tua sancta, et omnes, qui in ea vehentur, sicut dignatus es benedicere arcam Noë, ambulantem in diluvio: porrige eis, Domine, dexteram tuam, sicut porrexisti beato Petro ambulanti supra mare: et mitte sanctum Angelum tuum de coelis, qui liberet et custodiat eam semper a periculis universis, cum omnibus, qui in ea erunt: et famulos tuos, repulsis adversitatibus, portu semper optabili, cursuque tranquillo tuearis, transactisque ac recte perfectis negotiis omnibus, iterato tempore ad propria cum omni gaudio revocare digneris. Qui vivis et regnas etc.

Aspergat navim aqua benedicta.

XVII.

BENEDICTIO DOMORUM

QUOVIS TEMPORE FACIENDA CUM ASPERSIONE AQUAE BENEDICTAE.

Parochus, seu alii Sacerdotes volentes aliquam particularem domum, vel generaliter domos fidelium alio tempore infra annum aspergere aqua benedicta, ingredientes domum dicant: Pax huic domui, et omnibus habitantibus in ea. *Deinde loca aspergendo dicant Antiph.* Asperges me Domine hyssopo, et

mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor. *Psalmus 50.* Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam etc. *In fine.* Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Sicut erat etc. *Repetitur Antiphona:* Asperges me Domine etc. ℣. Domine exaudi Orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Exaudi nos Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus; et mittere digneris sanctum Angelum tuum de coelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat aqua benedicta astantes.

XVIII.

BENEDICTIO LOCI IN COMMUNI.

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Bene†dic, Domine Deus omnipotens, locum istum (*vel* domum istam) ut sit in eo (ea) sanitas, castitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas, et mansuetudo, plenitudo legis, et gra-

tiarum actio Deo Patri, et Filio, et Spiritui sancto; et haec Bene†dictio maneat super hunc locum, et super habitantes in eo, nunc et semper. ℟. Amen.

Et aspergat aqua benedicta.

XIX.

BENEDICTIO DOMUS NOVAE.

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Te Deum Patrem omnipotentem suppliciter exoramus pro hac domo, et habitatoribus ejus, ac rebus: ut eam bene†dicere et sancti†ficare, ac bonis omnibus ampliare digneris: tribue eis, Domine, de rore coeli abundantiam, et de pinguedine terrae vitae substantiam, et desideria voti eorum ad effectum tuae miserationis perducas. Ad introitum ergo nostrum bene†dicere et sancti†ficare digneris hanc domum, sicut benedicere dignatus es domum Abraham, Isaac, et Jacob: et intra parietes domus istius Angeli tuae lucis inhabitent, eamque et ejus habitatores custodiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergatur aqua benedicta.

XX.

BENEDICTIO THALAMI.

Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Bene†dic, Domine, thalamum hunc, ut omnes habitantes in eo, in tua pace consistant, et in tua voluntate permaneant, et senescant, et multiplicentur in longitudine dierum, et ad Regna coelorum perveniant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

XXI.

BENEDICTIO VESTIMENTORUM,

VEL INDUMENTORUM, ET LINTEAMINUM LECTI, ET SIMILIUM MUTATIS MUTANDIS.

Exorcizo vos, creaturae diversae indumentorum, per eum, qui vos paravit ad ornamentum generis humani, ut sitis indumenta benedicta † pura † et munda † ab omni virtute diaboli, et ministrorum ejus, et ab omnibus facturis et maleficiis, cujuscunque generis sint: et vires diaboli retinere non possitis, sed sitis indumenta pura †, benedicta †, et sanctificata †; quaesumus Domine, ut haec indumenta puri†ficare, bene†dicere et sancti†ficare digneris;

nam ego Sacerdos tuus haec indumenta in tuo Nomine bene†dico, purifico †, et sanctifico †; concede, Domine, ut qui ea portaverit, et induerit, coelestis gratiae, et Benedictionis plenitudinem valeat accipere, ut ab omnibus daemonibus et facturis sit liber et defensus. In nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † sancti, Amen.

Oremus:

Omnipotens aeterne Deus, qui inter caetera mirabilia tua creaturas diversis ornamentis decorasti, et tunicas pelliceas Adae et Evae fecisti, nosque veste misericordiae in hoc saeculo, et in futuro regno stola gloriae circumdas: quaesumus, ut haec indumenta pro tui Nominis honore puri†ficare et bene†dicere digneris, quae et ego in Nomine tuo purifico † et benedico, tuamque clementiam supplex invoco, ut creaturam istam, quae his indumentis vestietur, sub tua protectione conservare, et copiosis meritis, diversisque virtutibus ditare, et ornare digneris, ut cum senseris horum vestimentorum fragrantiam, des eidem creaturae tuae osculum pacis, et benedicas eam in anima et corpore; concede Domine, ut odor horum vestimentorum sit sicut odor thuris, qui Angelos laetificet, daemones vero in fugam convertat. Da quoque Domine, ut famulus tuus (famula tua) qui

haec vestimenta portaverit, coelestis gratiae plenitudinem, et tuae protectionis munimen mereatur accipere: utque ab omnibus inimicorum maleficiis, incantationibus, et insidiis incolumis permaneat, teque Deum suum omnipotentem glorificet in tempore et aeternitate. **Per Dominum nostrum etc.**

Benedictio Dei omnipotentis Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † sancti, descendat super haec indumenta, et maneat semper. **Amen.**

Aspergantur aqua benedicta.

XXII.

BENEDICTIO LOCORUM

CONTRA INUNDATIONES AQUARUM ET INCENDIA, QUAE FLAMMIS INGRAVESCENTIBUS NULLO HUMANO AUXILIO SOPIRI POSSE PUTANTUR.

Sacerdos indutus superpelliceo, et Stola alba cum Ministro deferente hoc Benedictionale procedit ad locum, et dicit sequentes preces:

℣. Adjuva nos Deus salutaris noster. ℟. Et propter gloriam Nominis tui libera nos.

℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Domini non secundum peccata nostra facias nobis. ℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

℣. Mitte nobis, Domine, auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere nos.

℣. Domine exaudi Orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Deus, qui justificas impium, et non vis mortem peccatoris; Majestatem tuam suppliciter deprecamur, ut famulos tuos de tua misericordia confidentes ab his aquarum (*vel* ignium) periculis coelesti protegas benignus auxilio, et assidua protectione conserves, ut tibi jugiter famulentur, et nullis tentationibus a te separentur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Extendens manum super aquas (flammas) faciat signum Crucis dicendo:

Benedictio Dei omnipotentis, Patris †, et Filii, et Spiritus sancti, descendat super has aquas (*vel* flammas) easque clementer coerceat. ℟. Amen.

Injici quandoque etiam solent Agni Dei, palmae, aliaeque res benedictae; a superstitiosis vero Judaeorum characteribus plane abstineatur.

XXIII.

BENEDICTIO CUJUSLIBET REI.

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Deus, cujus verbo sanctificantur omnia, effunde, quaesumus, Benedictionem † tuam super nos, et super hanc creaturam; ut per invocationem sancti tui Nominis, quaecunque praesentis vitae necessitas pie postulat, misericorditer cum gratiarum actione assequamur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergat aqua benedicta.

ALIA BENEDICTIO COMMUNIS CUJUSLIBET REI SUB INVOCATIONE ALICUJUS SANCTI.

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Bene†dic, Domine, creaturam istam N. ut salutare remedium sit creaturae tuae, quam pretioso Sanguine redemisti: et praesta per invocationem tui sancti Nominis, et Sancti N. Servi tui, ut quisquis ea usus fuerit, Benedictionem recipiat et sanitatem: atque contra omnes morbos, atque universas insidias diaboli, et inimicorum tutamen sit: et ego N. tuus Sacerdos, in Nomine tuo, et Sancti N. hanc creaturam N. bene†dico, ac sancti†fico, ut sit defensio creaturis tuis et ignis ardens daemoniorum, et sit expulsio diabolorum, atque annihilatio omnium facturarum diabolicarum, in nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † sancti, Amen. *Aspergatur.*

SECTIO VI.

BENEDICTIONES

A SOLIS EPISCOPIS, VEL SACERDOTIBUS LICENTIAM PAPALEM, AUT EPISCOPALEM HABENTIBUS FACIENDAE.

I.

BENEDICTIO SACERDOTALIUM INDUMENTORUM IN GENERE.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum, et terram.
℣. Domine exaudi etc.
℣. Dominus vobiscum etc.

Oremus:

Omnipotens sempiterne Deus, qui per Moysen famulum tuum Pontificalia et Sacerdotalia seu Levitica vestimenta, ad explendum in conspectu tuo Ministerium eorum, ad honorem, et decorem Nominis tui fieri decrevisti: adesto propitius invocationibus nostris, et haec indumenta Sacerdotalia, desuper irrigante gratia tua, ingenti Benedictione per nostrae humilitatis servitium puri†ficare, bene†dicere, et con†secrare digneris; ut divinis cultibus, et sacris Mysteriis apta et benedicta existant; his quoque sacris

vestibus Pontifices et Sacerdotes, seu Levitae tui induti ab omnibus impulsionibus, seu tentationibus malignorum spirituum muniti et defensi esse mereantur: tuisque Mysteriis apte et condigne servire, et inhaerere, atque in his tibi placide, et devote perseverare tribue. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus:

Deus invictae virtutis Triumphator, et omnium rerum Creator, et Sanctificator: intende propitius preces nostras: et haec indumenta Leviticae, Sacerdotalis, et Pontificalis gloriae Ministris tuis fruenda tuo ore proprio bene†dicere, sancti†ficare, et conse†crare digneris: omnesque eis utentes, tuis Mysteriis aptos, et tibi in eis devote ac laudabiliter servientes, gratos efficere digneris. Per Dominum nostrum JEsum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat etc. ℟. Amen.

Oremus:

Domine Deus omnipotens, qui vestimenta Pontificibus, Sacerdotibus, et Levitis in usum tabernaculi foederis necessaria, Moysen famulum tuum conficere jussisti, eumque spiritu sapientiae ad id peragendum replevisti: haec vesti-

menta in usum, et cultum Mysterii tui bene†dicere, sancti†ficare, et conse†crare digneris: atque Ministros Altaris tui, qui ea induerint, septiformis spiritus gratia dignanter repleri, atque castitatis stola, beata facias cum bonorum fructu operum Ministerii congruentis immortalitate vestiri. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergit ipsa indumenta aqua benedicta.

II.

BENEDICTIO

CUJUSLIBET INDUMENTI IN SPECIE.

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Deus omnipotens, bonarum virtutum dator, et omnium Benedictionum largus infusor, supplices te rogamus, ut manibus nostris opem tuae Benedictionis infundas, et *vel* has caligas, et sandalia, *vel* amictum, *vel* albam, *vel* cingulum, *vel* stolam, *vel* manipulum, *vel* tunicellam, *vel* dalmaticam, *vel* planetam divino cultui praeparatam virtute sancti Spiritus bene†dicere, sancti†ficare, et conse†crare digneris, et omnibus ea, *vel* eo, *vel* eis utentibus gratiam sanctificationis sacri Mysterii tui benignus concede; ut in conspectu tuo sancti et immaculati, atque

irreprehensibiles appareant, et auxilium misericordiae tuae acquirant. Per Dominum nostrum JEsum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde aspergit ea aqua benedicta.

III.

BENEDICTIO MAPPARUM,

SEU LINTEAMINUM ALTARIS.

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Exaudi, Domine, preces nostras, et haec linteamina, sacri Altaris usui praeparata, bene†dicere, et sancti†ficare digneris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus:

Domine Deus omnipotens, qui Moysen famulum tuum ornamenta, et linteamina facere per quadraginta dies docuisti; quae etiam Maria texuit, et fecit in usum Ministerii et tabernaculi foederis: bene†dicere, sancti†ficare, et conse†crare digneris haec linteamina ad tegendum, involvendumque Altare gloriosissimi Filii

tui, Domini nostri JEsu Christi, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde aspergat ea aqua benedicta.

IV.

BENEDICTIO CORPORALIUM,

ET PALLARUM.

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Clementissime Domine, cujus inenarrabilis est virtus, cujus Mysteria arcanis mirabilibus celebrantur: tribue quaesumus, ut hoc linteamen, tuae propitiationis Benedictione † sanctificetur, ad consecrandum super illud Corpus et Sanguinem Dei et Domini nostri JEsu Christi, Filii tui: qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Oremus:

Omnipotens sempiterne Deus, bene†dicere, sancti†ficare, et conse†crare digneris linteamen istud ad tegendum, involvendumque Corpus et Sanguinem Domini nostri JEsu Christi, Filii tui: qui tecum vivit, et regnat etc. ℟. Amen.

Oremus:

Omnipotens Deus, manibus nostris opem tuae Benedictionis infunde: ut per nostram Bene†dictionem, hoc linteamen sanctificetur, et Corporis ac Sanguinis Redemptoris nostri novum sudarium Spiritus sancti gratia efficiatur. Per eundem Dominum nostrum JEsum Christum, Filium tuum: qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Et aspergat aqua benedicta.

V.

BENEDICTIO TABERNACULI,

SEU VASCULI, CIBORII, MONSTRANTIAE, VEL LUNULAE PRO SACROSANCTA EUCHARISTIA CONSERVANDA.

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Omnipotens sempiterne Deus, Majestatem tuam supplices deprecamur, ut vasculum hoc pro Corpore Filii tui Domini nostri JEsu Christi in eo condendo fabricatum, Bene†dictionis tuae gratia dicare digneris. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat illud aqua benedicta.

VI.

BENEDICTIO NOVAE CRUCIS,

PUBLICE ET SOLENNITER ERIGENDAE.

Sacerdos indutus superpelliceo, Stola, et Pluviali rubri coloris, ubi commode haberi potest, cum Ministris thus, thuribulum, et aquam benedictam deferentibus more solito procedat ad locum Crucis erigendae, vel jam erectae, dicatque:

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Benedic Domine, hanc Crucem tuam, per quam eripuisti mundum a potestate daemonum, et superasti Passione tua suggestorem peccati, qui gaudebat in praevaricatione primi hominis per vetiti ligni sumptionem, qui cum Deo Patre, et Spiritu sancto vivis, et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Oremus:

Rogamus te Domine sancte, Pater omnipotens sempiterne Deus, ut digneris bene†dicere hoc lignum Crucis tuae, ut sit remedium salutare generi humano, sit soliditas fidei, bonorum operum profectus, et redemptio animarum, sit solamen et protectio, ac tutela contra

saeva jacula inimicorum. Per Dominum nostrum etc.

Deinde dicitur

PRAEFATIO.

Per omnia saecula saeculorum, Amen.
Dominus vobiscum etc.
Sursum corda etc.
Gratias agamus Domino etc.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare nos tibi semper, et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, cujus sanctum et terribile Nomen inter caeteras visibiles creaturas, ligna quoque fructifera laudare et benedicere non cessant, qui in figuram unigenitae Sapientiae tuae ligno vitae a principio paradisum voluptatis ornasti, ut ejusdem fructus sacrosancto Mysterio protoparentes nostri generis mortem cavere, et vitam admoneret custodire perpetuam, quique nos vetitae arboris attactu justae morti addictos ejusdem coaeternae tibi Sapientiae Dei, et Domini nostri JEsu Christi innoxia morte ad vitam misericorditer revocare dignatus es. Te supplices exoramus, ut hoc singulare signum, quod ad exemplum primi illius sacratissimi Vexilli, quo pretioso Sanguine Filii tui triumphasti, fidelium tuorum devotione compactum erigendumque (*vel*

erectum) est, tua coelesti Bene✝dictione sanctificare digneris, ut omnibus hic genuflectentibus, ac tuae Majestati supplicantibus largior et cordis compunctio, et admissorum concedatur remissio, atque ipsa intercedente victoriosissima unigeniti Filii tui Passione, et tibi placita postulare, et citius valeant postulata percipere.

Da quaesumus, clementissime Pater, in quo vivimus, movemur, et sumus, ut quoties triumphum divinae humilitatis, qua superbiam nostri hostis dejecit, oculis intuemur, quotiescunque mente recolimus, et contra hostem ipsum fiduciam et majorem tibi devotae humilitatis gratiam consequamur, quatenus in illo tremendo tuae Majestatis examine, cum paventibus elementis, coelorumque tunc commotis viribus, Signum istud gloriosum redemptionis nostrae apparuerit in coelo, ipsi de morte ad vitam transire, et ad perpetuae resurrectionis gaudia pervenire mereamur, per eundem etc.

Oremus:

Deus, qui beatae Crucis patibulum, quod prius erat sceleratis ad poenam, convertisti redemptis ad vitam, concede plebi tuae ejus vallari praesidio, cujus est armata vexillo; sit ei fidei fundamentum, spei suffragium, in adversis defensio, in prosperis adjuvamen; sit ei

in hostes victoria, in civitate custodia, in campis protectio, in domo fultura, ut per eam pastor in futuro gregem conservet incolumem, quae nobis Agno † vicente conversa est in salutem. Per eundem etc.

Oremus:

Sancti†fica Domine JEsu Christe istud signaculum Passionis tuae, ut sit inimicis tuis obstaculum, et credentibus in te perpetuae victoriae vexillum, qui cum Deo Patre etc.

BENEDICTIO THURIS.

Oremus:

Domine Deus omnipotens, cui adstat exercitus Angelorum cum tremore, quorum servitium spirituale, et igneum esse cognoscitur, dignare respicere, bene†dicere, et sancti†ficare hanc creaturam incensi, ut omnes languores, omnesque infirmitates, cunctaeque insidiae inimici odorem ejus sentientes effugiant, et separentur a plasmate tuo, ut nunquam laedatur a morsu antiqui serpentis, quod pretioso Filii tui Sanguine redemisti, qui tecum, et cum Spiritu etc.

Finita Benedictione Sacerdos imponit thus in thuribulum sine ulteriori Benedictione;

deinde aspergit Crucem aqua benedicta, eamque incensat. Denique subjungit:

Sanctificetur istud lignum in nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † sancti: et Benedictio illius ligni, in quo sacra membra Salvatoris suspensa sunt, sit in isto ligno, ut orantes, inclinantesque se propter Deum ante ipsam inveniant animae et corporis sanitatem, per eundem etc.

Si Crux nondum sit erecta, hic imponantur Reliquiae, aliaeque res benedictae recludantur, et Crux erigatur. Tum Sacerdos flexis ante Crucem genibus eam devote adorat, et osculatur; idem faciunt, quicunque alii voluerint.

VII.

BENEDICTIO IMAGINUM

JESU CHRISTI DOMINI NOSTRI, B. VIRGINIS MARIAE, ET ALIORUM SANCTORUM PUBLICE, AC SOLEMNITER ERIGENDARUM.

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Omnipotens sempiterne Deus, qui Sanctorum tuorum imagines (*sive* effigies) sculpi, aut pingi non reprobas, ut, quoties illas oculis corporeis intuemur, toties eorum actus, et sanctitatem ad imitandum memoriae oculis meditemur;

hanc, quaesumus, imaginem (*seu* sculpturam) in honorem et memoriam unigeniti Filii tui Domini nostri JEsu Christi (*vel* beatissimae Virginis Mariae, Matris Domini nostri JEsu Christi, *vel* Beati N. Apostoli tui, *vel* Martyris, *vel* Confessoris, *vel* Pontificis, *aut* Virginis) adaptatam bene†dicere, et sancti†ficare digneris; et praesta, ut quicunque coram illa unigenitum Filium tuum (*vel* beatissimam Virginem, *vel* gloriosum Apostolum, *sive* Martyrem, *sive* Confessorem, *aut* Virginem) suppliciter colere et honorare studuerit, illius meritis et obtentu a te gratiam in praesenti, et aeternam gloriam obtineat in futuro. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Ultimo aspergat aqua benedicta, et thurificet.

VIII.

BENEDICTIO SACRORUM VASORUM,

ET ALIORUM ORNAMENTORUM IN GENERE.

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Exaudi Domine, Pater clementissime, preces nostras, et haec purificanda vasa et ornamenta, sacri Altaris, atque Ecclesiae tuae sacri Ministerii usui praeparata, bene†dicere, et

sancti†ficare digneris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus:

Omnipotens, sempiterne Deus, a quo omnia immunda purgantur, et in quo omnia purgata clarescunt, supplices omnipotentiam tuam invocamus, ut ab his vasis, et ornamentis, quae tibi offerunt famuli tui, omnis spiritus immundus confusus longe discedat, et per tuam Bene†dictionem ad usum et Ministerium sancti Altaris, et Ecclesiae tuae sanctificata permaneant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergit ea aqua benedicta.

IX.

BENEDICTIO VASCULI,

AUT CAPSAE SACRARUM RELIQUIARUM.

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Bene†dic, quaesumus, sancte Pater, omnipotens aeterne Deus, hoc conditorium sanctorum pignorum ad recondenda in eo tuorum munera Sanctorum, in Christo JEsu Domino nostro, qui tecum vivit et regnat in unitate

Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde aspergit aqua benedicta.

X.

RITUS BENEDICENDI, ET IMPONENDI PRIMARIUM LAPIDEM PRO ECCLESIA AEDIFICANDA.

Ecclesiam ex Episcopi authoritate tantum, juxta sacrorum Canonum decreta, aedificari fas est. Si vero Sacerdos ejus aedificationis primarium lapidem benedicendi potestatem habens, ejusmodi functionem peragat, hunc Ritum servabit.

Pridie quam primarius lapis benedicatur, ligneam Crucem in loco, ubi debet esse Altare, figat ipse vel alius Sacerdos, sequenti vero die lapis in Ecclesiae fundatione ponendus, qui debet esse quadratus, et angularis, benedicatur hoc modo.

Sacerdos indutus amictu, alba, cingulo, stola, et pluviali albi coloris, adhibitis aliquot Sacerdotibus, et Clericis, salem et aquam benedicit, nisi prius in promptu habeat jam benedictam ordinaria Benedictione, et interim, dum cantatur ex majore Pontificali Romano, vel dicitur a Clericis Antiphona cum Psalmo sequenti, aspergit locum, ubi Crux posita est, cum aqua benedicta.

Antiph. Signum salutis pone Domine JEsu Christe, in loco isto, et non permittas introire Angelum percutientem.

Psalmus 83.

Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: * concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum, et caro mea; * exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum; * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua Domine virtutum: * Rex meus, et Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua Domine: * in saecula saeculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te: * ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco, quem posuit.

Etenim Benedictionem dabit Legislator, ibunt de virtute in virtutem: * videbitur Deus Deorum in Sion.

Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam: * auribus percipe Deus Jacob.

Protector noster aspice Deus: * et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis; * super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei: * magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam, et veritatem diligit Deus: * gratiam, et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: * Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

Gloria Patri etc. Sicut erat etc.

Finito Psalmo Sacerdos versus ad locum per eum aspersum dicit, vel canit:

Oremus:

Domine Deus, qui licet coelo, et terra non capiaris, domum tamen dignaris habere in terris, ubi Nomen tuum jugiter invocetur; locum hunc, quaesumus, beatae Mariae semper Virginis, et Beati N. *(nominando Sanctum, vel Sanctam, in cujus honorem ac nomen fundabitur Ecclesia)* omniumque Sanctorum intercedentibus meritis, sereno pietatis tuae intuitu visita, et per infusionem gratiae tuae ab omni inquinamento purifica, purificatumque conserva, et qui dilecti tui David devotionem in filii sui Salomonis opere complevisti, in hoc opere desideria nostra perficere digneris: effugiantque omnes hinc nequitiae spirituales. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat, in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Postea stans benedicit primarium lapidem, dicens:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum, et terram.
℣. Sit Nomen Domini benedictum,
℟. Ex hoc nunc, et usque in saeculum.
℣. Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes,
℟. Hic factus est in caput anguli.
℣. Tu es Petrus.
℟. Et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.
℣. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.
℟. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Oremus:

Domine JEsu Christe, Fili Dei vivi, qui es verus omnipotens Deus, splendor et imago aeterni Patris, et vita aeterna, qui es lapis angularis de monte sine manibus abscissus, et immutabile fundamentum, hunc lapidem collocandum in tuo Nomine confirma, et tu, qui es Principium et finis, in quo Principio Deus Pater ab initio cuncta creavit, sis, quaesumus, principium et incrementum, et consummatio ipsius operis, quod debet ad laudem, et gloriam tui Nominis inchoari. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Tunc aspergit lapidem ipsum aqua benedicta, et accepto cultro per singulas partes sculpit in eo signum Crucis, dicens: In nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † sancti. ℟. Amen.

Quo facto dicit:

Oremus:

Bene†dic Domine creaturam istam lapidis, et praesta per invocationem sancti tui Nominis, ut quicunque ad hanc Ecclesiam aedificandam pura mente auxilium dederint, corporis sanitatem, et animae medelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea dicantur Litaniae ordinariae sine Orationibus in fine positis, quibus dictis, parato coemento, et coementario assistente, Sacerdos inchoat, Clericis prosequentibus, Antiphonam:

Mane surgens Jacob erigebat lapidem in titulum, fundens oleum desuper: Votum vovit Domino: vere locus iste sanctus est, et ego nesciebam.

Psalmus 126.

Nisi Dominus aedificaverit domum: * in vanum laboraverunt, qui aedificant eam.

Nisi Dominus custodierit civitatem: * frustra vigilat, qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem surgere; *

surgite, postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis suis somnum: * ecce haereditas Domini, filii; merces fructus ventris.

Sicut sagittae in manu potentis: * ita filii Excussorum.

Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis: * non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta.

Gloria Patri, et Filio; et Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Quo dicto, Sacerdos stans tangit, et ponit ipsum primarium lapidem in fundamento, dicens: In fide JEsu Christi collocamus lapidem istum primarium in hoc fundamento, in Nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † sancti, ut vigeat vera fides hic, et timor Dei, fraternaque dilectio, et sit hic locus destinatus orationi, et ad invocandum, et laudandum Nomen ejusdem Domini nostri JEsu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Interim coementarius locat ipsum lapidem cum coemento, postea Sacerdos spargit super lapidem aquam benedictam, dicens: Asperges me Domine hyssopo, et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor. *Psalm.* Miserere mei Deus: secundum magnam etc. *dicitur totus*

cum Gloria Patri. *Quo dicto Sacerdos spargit aquam benedictam per omnia fundamenta, si sunt aperta: si vero non sunt aperta, circuit aspergendo fundamenta Ecclesiae disignata, et incipiens aspergere inchoat Antiphonam, Clero prosequente,* O quam metuendus est locus iste: vere non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta coeli.

Psalmus 86.

Fundamenta ejus in montibus sanctis: * diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

Gloriosa dicta sunt de te: * civitas Dei.

Memor ero Rahab, et Babylonis: * scientium me.

Ecce alienigenae, et Tyrus, et populus Aethiopum: * hi fuerunt illic.

Numquid Sion dicet, homo et homo natus est in ea: * et ipse fundavit eam Altissimus?

Dominus narrabit in Scripturis populorum, et principum: * horum, qui fuerunt in ea:

Sicut laetantium omnium: * habitatio est in te.

Gloria Patri, et Filio: * et Spiritui sancto etc.

Antiph. O quam metuendus est locus iste, vere non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta coeli.

Interim aspergendo procedit usque ad fundamenta aperta, seu designata, et repetita Antiphona, stans dicit: Oremus. *Ministri:* Flectamus genua. ℟. Levate.

Omnipotens, et misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam prae caeteris gratiam contulisti, ut, quidquid in tuo Nomine digne, perfecteque ab eis agitur, a te fieri credatur, quaesumus immensam clementiam tuam, ut quidquid modo visitaturi sumus, visites; et quidquid benedicturi sumus, bene†dicas, sitque ad nostrae humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga daemonum Angeli pacis ingressus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deus, qui ex omnium cohabitatione Sanctorum aeternum Majestati tuae condis habitaculum, da aedificationi tuae incrementa coelestia, ut quod te jubente fundatur, te largiente perficiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

XI.

RITUS BENEDICENDI NOVAM ECCLESIAM, SEU ORATORIUM PUBLICUM, UT IBI SANCTISSIMUM MISSAE SACRIFICIUM CELEBRARI POSSIT.

Sacerdos novam Ecclesiam de licentia Episcopi benedicturus, ut in ea divinum Sacrificium Missae rite celebretur, Stola, ac Plu-

viali albi coloris indutus, aliquot Sacerdotibus et Clericis adhibitis praelata Cruce media inter duos Clericos deferentes cereos accensos, mane procedit ad primariam Ecclesiae, vel Oratorii januam, ubi stans capite aperto conversus ad eam dicit absolute Orationem.

Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni, et adjuvando prosequere; ut cuncta nostra Oratio, et Operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde inchoat Antiphonam: Asperges me Domine etc. *Et Clerus alternatim dicit Psalmum:* Miserere mei Deus etc. *in fine* Gloria Patri etc.

Interim circumeunt exterius Ecclesiam (quae intus debet esse vacua, et nuda, et pariter Altaria nuda, excluso populo, donec absoluta sit Benedictio) et Sacerdos accepto aspergillo ex herba hyssopi ad ejus dexteram se convertens, parietes Ecclesiae in superiori parte, et in fundamentis cum aqua benedicta aspergit dicens: Asperges me Domine hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Reversi ad locum, unde Processio initium habuit, repetita Antiphona a Clero, Sacerdos stans, ut prius, versus Ecclesiam dicit: Oremus. *Et Ministri:* Flectamus genua. ℟. Levate.

ORATIO.

Domine Deus, qui licet coelo et terra non capiaris, domum tamen dignaris habere in terris, ubi Nomen tuum jugiter invocetur: locum hunc, quaesumus, beatae Mariae semper Virginis, et Beati N. omniumque Sanctorum intercedentibus meritis, sereno pietatis tuae intuitu visita, et per infusionem gratiae tuae ab omni inquinamento purifica, purificatumque conserva; et qui dilecti tui David devotionem in Filii sui Salomonis opere complevisti, in hoc opere desideria nostra perficere digneris; effugiantque omnes hinc nequitiae spirituales. Per Dominum nostrum etc.

Qua finita Oratione, omnes bini in Ecclesiam intrantes, ad Altare majus procedunt, Litanias flexis genibus decantantes.

Ubi dictum fuerit: ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris. Te rogamus, audi nos. *Surgit Sacerdos, et intelligibili voce dicit:* Ut hanc Ecclesiam, et Altare ad honorem tuum, et nomen Sancti tui N. purgare, et bene✝dicere digneris. Te rogamus, audi nos. *Cum dicit:* Benedicere, *manu dextera benedicit Ecclesiam, et Altare; deinde, ut prius genuflectit, donec perficiantur Litaniae, et Cantores prosequuntur:*

Ut nos exaudire digneris. Te rogamus,

audi nos. Fili Dei, te rogamus, audi nos, Agnus Dei etc.

Dicto ultimo Kyrie eleison. *Sacerdos stans dicit:* Oremus. *Ministri:* Flectamus genua. ℟. Levate.

Praeveniat nos, quaesumus Domine, misericordia tua, et intercedentibus omnibus Sanctis tuis, voces nostras clementia tuae propitiationis anticipet. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tum distans ab Altari congruenti spatio genuflexus, et se signans, dicit: Deus in adjutorium meum intende. *Et statim surgit, Clero respondente:* Domine ad adjuvandum me festina. *Ipse vero stans dicit:* Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. *Chorus respondet:* Sicut erat in principio etc. *Postea Sacerdos dicit:* Oremus. *Ministri:* Flectamus genua. ℟. Levate.

Omnipotens, et misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam prae caeteris gratiam contulisti, ut quidquid in tuo Nomine digne perfecteque ab eis agitur, a te fieri credatur: quaesumus immensam clementiam tuam, ut quidquid modo visitaturi sumus, visites; et quidquid benedicturi sumus, bene†dicas, sitque ad nostrae humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga daemonum Angeli pacis ingressus.

Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum etc.

His dictis inchoat Antiphonam: Benedic Domine domum istam Nomini tuo aedificatam. *Cum tribus Psalmis sequentibus.*

Psalmus 119.

Ad Dominum, cum tribularer, clamavi: * et exaudivit me.

Domine libera animam meam e labiis iniquis, * et a lingua dolosa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi * ad linguam dolosam?

Sagittae potentis acutae, * cum carbonibus desolatoriis.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar: * multum incola fuit anima mea.

Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus: * cum loquebar illis, impugnabant me gratis.

Gloria Patri etc.

Psalmus 120.

Levavi oculos meos in montes, * unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum a Domino, * qui fecit coelum et terram.

Non det in commotionem pedem tuum, * neque dormitet, qui custodit te.

Ecce non dormitabit, neque dormiet, * qui custodit Israel.

Dominus custodit te, Dominus protectio tua, * super manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te: * neque luna per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo: * custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum; * ex hoc nunc, et usque in saeculum.

Gloria Patri etc.

Psalmus 121.

Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi: * in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes nostri: * in atriis tuis Jerusalem.

Jerusalem, quae aedificatur ut civitas: * cujus participatio ejus in idipsum.

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini: * testimonium Israel ad confitendum Nomini Domini.

Quia illic sederunt sedes in judicio: * sedes super domum David.

Rogate quae ad pacem sunt Jerusalem: * et abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua: * et abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos, et proximos meos: * loquebar pacem de te.

Propter domum Domini Dei nostri: * quaesivi bona tibi.

Gloria Patri etc. Sicut erat etc.

Antiph. Benedic Domine domum istam, Nomini tuo aedificatam.

Interim aspergit interius parietes in parte superiori, et inferiori, inchoans aspersionem a parte Evangelii, dicens: Asperges me Domine etc. *tum ad Altare reversus, dicit:* Oremus. *Ministri:* Flectamus genua. ℟. Levate.

Deus, qui loca Nomini tuo dicanda sanctificas: effunde super hanc Orationis domum gratiam tuam, ut ab omnibus hic Nomen tuum invocantibus auxilium tuae misericordiae sentiatur. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

His peractis, dicitur Missa de tempore occurrenti, vel de Sancto.

Ecclesia vero, quamvis a simplici Sacerdote, ut supra, sit benedicta, ab Episcopo tamen consecranda est.

XII.

BENEDICTIO ORATORII PRIVATI.

Sacerdos superpelliceo et Stola alba indutus, aperto capite ante Oratorii januam absolute dicit:

Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni, et adjuvando prosequere; ut cuncta nostra Oratio, et Operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Ingressus Oratorium dicit flexis genibus sequentem Litaniam, ministro respondente, et in ea nominat bis Sanctum, vel Sanctam titularem novi Oratorii suo ordine:

Kyrie eleison. ℟. Christe eleison.
Christe, audi nos. ℟. Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.
Sancta Maria,
Sancte Michaël,
Sancte Joannes Baptista,
Sancte Joseph,
Sancte Petre,
Sancte Paule,
Sancte Pelagi,
Sancte Conrade, } Ora pro nobis.
Omnes Sancti, et Sanctae Dei, Intercedite pro nobis.
Propitius esto, Parce nobis Domine.
A morte perpetua, Libera nos Domine.
Per Mysterium sanctae Incarnationis tuae, Libera nos Domine.

Per Nativitatem tuam,
Per Baptismum, et sanctum jejunium tuum,
Per Crucem et Passionem tuam,
Per Mortem et Sepulturam tuam,
Per sanctam Resurrectionem tuam,
Per admirabilem Ascensionem tuam,
Per Adventum Spiritus sancti Paracliti,
In die judicii,
Libera nos Domine.
Peccatores, Te rogamus, audi nos.
Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris, Te rogamus, audi nos.
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris, Te rogamus, audi nos.

Surgit Sacerdos, et dicit:

Ut hoc Sacellum, et Altare ad honorem tuum sub nomine Sancti tui (*vel* Sanctae tuae) N. purgare et benedicere † digneris, Te rogamus, audi nos.

Genuflectit et prosequitur:

Ut nos exaudire digneris, Te rogamus, audi nos.
Fili Dei, Te rogamus, audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.

Surgit, et dicit: Oremus. Flectamus genua. ℟. Levate.

Praeveniat nos, quaesumus Domine, misericordia tua, et intercedente Sancto N. (*vel* Sancta N.) voces nostras clementia tuae propitationis anticipet. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tum aspergit parietes intra Sacellum, et Altare, dicens Antiph.

Asperges me Domine hyssopo, et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor. ℣. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam etc. ℣. Gloria Patri etc. Sicut erat etc. *Repetitur Antiph.* Asperges me etc. *Denique dicit:*

Oremus:

Effunde, quaesumus Domine, Benedictionem tuam super hunc Orationis locum; ut ab iis, qui invocant Nomen tuum, misericordiae tuae auxilium sentiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tum si sit hora competens, celebratur Missa de die, mutata Stola, si alium colorem ab albo officium requirat.

XIII.

RITUS RECONCILIANDI ECCLESIAM VIOLATAM, SI NONDUM ERAT AB EPISCOPO CONSECRATA.

Ecclesiae violatae reconciliatio per Sacerdotem ab Episcopo delegatum fiat hoc modo: Altare Ecclesiae omnino nudetur, provideatur-

que, ut Ecclesia possit libere circumiri tam exterius, quam interius, si fieri potest. Paretur vasculum cum aqua benedicta, et aspergillum de herba hyssopi factum. Sacerdos indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola et Pluviali albo, adhibitis aliquot Sacerdotibus et Clericis, procedit ad primariam Ecclesiae portam: ubi stans Antiphonam incipit, dicens, Clero prosequente: Asperges me Domine hyssopo, et mundabor: Lavabis me, et super nivem dealbabor. *Psalmus:* Miserere mei Deus, *totus cum* Gloria Patri. *Quo finito Antiphona repetitur. Interim dum Antiphona et Psalmus dicuntur, Sacerdos cum aqua benedicta aspergit in circuitu extrinsecus Ecclesiam, et Coemeterium, simul aspergendo alternatim ad parietes Ecclesiae, ad terram Coemeterii, praesertim ad loca contaminata. Quo facto redit ad locum, ubi incepit aspergere, et stans dicit:*

Oremus:

Omnipotens et misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam prae caeteris gratiam contulisti, ut quidquid in tuo Nomine digne perfecteque ab eis agitur, a te fieri credatur: quaesumus immensam clementiam tuam, ut quod modo visitaturi sumus, visites; et quidquid benedicturi sumus, bene†dicas, sitque ad nostrae humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis,

fuga daemonum, Angeli Pacis ingressus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos incipit Litanias, et ingreditur Ecclesiam cum Clero, cantando eas, acceditque ante Altare majus, coram quo genuflectit; cumque dictum fuerit: Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris. ℟. Te rogamus, audi nos. *Sacerdos surgit et clara voce dicit:* Ut hanc Ecclesiam, et Altare hoc, ac Coemeterium purgare, et recon†ciliare digneris. Te rogamus etc. *Quibus dictis rursus genuflectit, et Litaniae perficiuntur; quibus finitis, Sacerdos versus ad dictum Altare, dicit:* Oremus. *Ministri:* Flectamus genua. ℟. Levate.

Praeveniat nos, quaesumus Domine, misericordia tua: et intercedentibus omnibus Sanctis tuis, voces nostras clementia tuae propitiationis anticipet. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos genuflectit ante Altare, et se signo Crucis muniens, clara voce dicit: Deus in adjutorium meum intende. *Tum surgit, et Chorus, seu astantes Clerici respondent:* Domine ad adjuvandum me festina. *Et Sacerdos stans dicit:* Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. ℟. Sicut erat in principio, et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Quo dicto Sacerdos *inchoat, Clero prosequente, Antiphonam:*

Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant, qui oderunt eum, a facie ejus.

Psalmus 67.

In Ecclesiis benedicite Deo Domino, * de fontibus Israel. *Repetitur Antiphona.*

Ibi Benjamin adolescentulus, * in mentis excessu. *Repetitur Antiphona.*

Principes Juda, duces eorum: * Principes Zabulon, Principes Nephthali. *Repetitur Antiphona.*

Manda Deus virtuti tuae: * confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. *Repetitur Antiphona.*

A templo sancto tuo in Jerusalem, * tibi offerent Reges munera. *Repetitur Antiphona.*

Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: * ut excludant eos, qui probati sunt argento. *Repetitur Antiphona.*

Dissipa gentes, quae bella volunt: * venient legati ex Aegypto: Aethiopia praeveniet manus ejus Deo. *Repetitur Antiphona.*

Regna terrae, cantate Deo: * Psallite Domino. *Repetitur Antiphona.*

Psallite Deo, * qui ascendit super coelum coeli ad Orientem. *Repetitur Antiphona.*

Ecce dabit voci suae vocem virtutis, * date gloriam Deo super Israel, magnificentia ejus,

et virtus ejus in nubibus. *Repetitur Antiphona.*

Mirabilis Deus in Sanctis suis, Deus Israel,* ipse dabit virtutem, et fortitudinem plebi suae, benedictus Deus.

Et non dicitur Gloria Patri, *sed Antiphona repetitur. Interim dum Antiphona, et Psalmi praedicti dicuntur, Sacerdos circuit Ecclesiam intrinsecus aspergendo: aspergit etiam specialiter loca contaminata; quo facto stans in Presbyterio versus ad Altare dicit:* Oremus. Flectamus genua. ℟. Amen.

Deus, qui in omni loco dominationis tuae clemens et benignus Purificator assistis: exaudi nos, quaesumus, et concede, ut in posterum inviolabilis hujus loci permaneat benedictio; et tui muneris beneficia universitas fidelium, quae supplicat, percipere mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde dicitur Missa de die occurrenti.

NOTANDUM. *Simplex Sacerdos de jure communi tantum potest ex privilegio Sedis Apostolicae Ecclesiam ab Episcopo consecratam reconciliare; et tunc utatur ritu in Pontificali praescripto, procedatque indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, et Pluviali albi coloris, adhibitis secum aliis Presbyteris, et Clericis superpelliceis indutis, cum aqua Gregoriana, hoc est, aqua cum sale, vino, et cinere ab*

Episcopo benedicta, juxta Decretalem, Aqua de consecratione Ecclesiae Lib. 3. Tit. 40.

In hac tamen Dioecesi vi specialis facultatis, seu privilegii Apostolici Episcopus etiam simplici Sacerdoti delegare potest potestatem reconciliandi hujusmodi Ecclesias pollutas aqua ab Episcopo benedicta, et in casu necessitatis etiam aqua non benedicta ab Episcopo.

XIV.

RITUS BENEDICENDI

NOVUM COEMETERIUM PER SACERDOTEM AB EPISCOPO DELEGATUM.

Pridie, quam fiat Benedictio, ponitur in medio Coemeterio benedicendo lignea Crux alta ad staturam hominis; et ante ipsam Crucem in terra figitur paxillus tridens ligneus altus ad cubitum unum, aptus ad affigendum illi tres candelas.

Sequenti die mane Sacerdos in Sacristia paratus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, et Pluviali albi coloris, adhibitis aliquot Sacerdotibus et Clericis indutis superpelliceis, qui deferant vasculum aquae benedictae, aspergillum, et thuribulum cum incensi navicula, et hoc Benedictionali libro, et tribus candelis cereis, procedit ad Coemeterium benedicendum ante Crucem in medio positam, et affiguntur, et accenduntur tres candelae super ligneum paxillum, et Sacerdos ante Crucem et candelas

stans discooperto capite dicit, vel cantat in tono feriali:

Oremus:

Omnipotens Deus, qui es custos animarum, et tutela salutis, fides credentium; respice propitius ad nostrae servitutis officium, et ad introitum nostrum purgetur †, benedicatur †, et sanctificetur † hoc Coemeterium, ut humana corpora hic post vitae cursum quiescentia in magno judicii die simul cum fidelibus animabus mereantur adipisci vitae perennis gaudia. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Mox ante ipsam Crucem omnes genibus flexis dicunt, vel cantant Litanias ordinarias, incipiente Cantore, caeteris respondentibus: Et cum dictum fuerit, ut omnibus fidelibus Defunctis *etc.* Te rogamus, audi nos. *Sacerdos surgit, et clara voce dicit, producens manu signum Crucis:* Ut hoc Coemeterium purgare, et bene†dicere digneris. Te rogamus *etc. Deinde Sacerdos ut prius genuflectit, et Litaniae perficiuntur.*

Quibus finitis, surgunt omnes, et Sacerdos Crucem aspergit aqua benedicta dicens Antiphonam: Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor. Miserere mei Deus *etc. dicitur totus ab astantibus cum* Gloria Patri *etc. quo dicto*

repetitur Antiphona. Dum dicitur Psalmus, Sacerdos circuit, et perambulat totum Coemeterium, incipiens ad ejus (Coemeterii) dexteram, aspergens ubique aquam benedictam, quo facto redit ante Crucem, et ad ipsam respiciens dicit:

Oremus:

Deus, qui es totius orbis Conditor, et humani generis Redemptor, cunctarumque creaturarum visibilium et invisibilium perfectus dispositor, te supplici voce ac puro corde exposcimus, ut hoc Coemeterium, in quo famulorum famularumque tuarum corpora quiescere debent post curricula hujus vitae labentia, pur†gare, bene†dicere, et sancti†ficare digneris: quique remissionem omnium peccatorum per tuam magnam misericordiam in te confitentibus praestitisti, corporibus quoque eorum in hoc Coemeterio quiescentibus, et tubam primi Archangeli exspectantibus consolationem perpetuam largiter impertire. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tunc figit in summitate Crucis unam ex tribus candelis ardentibus, et alias duas similiter ardentes in duobus brachiis ejusdem Crucis. Deinde incensat ipsam Crucem, et aspergens aqua benedicta, redit cum Ministris in Sacristiam.

XV.

ORDO RECONCILIANDI

COEMETERIUM VIOLATUM, SIVE ECCLESIAE CONTIGUUM SIT, SIVE SEPARATUM, UBI ECCLESIA NON EST POLLUTA.

Coemeterium iisdem modis, quibus Ecclesia, polluitur, cum hoc discrimine, quod polluta Ecclesia semper polluatur contiguum Coemeterium, non tamen contra. Nec refert, sive Coemeterium fuerit antea ab Episcopo, vel a simplici Sacerdote cum Episcopi licentia benedictum.

Mane diei cujuscunque, qua facienda est reconciliatio, Sacerdos, si ab Episcopo facultatem habeat, adhibitis aliis Sacerdotibus, et Clericis indutis superpelliceis, in Sacristia, aut alio decenti loco, vestitus Amictu, Alba, Cingulo, Stola et Pluviali albi coloris, accedit ad medium Coemeterii, Clerico vasculum aquae benedictae, et aspergillum deferente, et ibi super tapete genuflectit una cum Ministris, et Cantores, aliique omnes flexis genibus dicunt vel cantant Litanias. In quibus, cum dictum fuerit: Ut omnibus fidelibus Defunctis etc. Te rogamus, audi nos. *Sacerdos surgit et manu dextera producens signum Crucis super Coemeterium clara voce dicit:* Ut hoc Coemeterium recon†ciliare, et sancti†ficare digneris. ℟. Te rogamus, audi nos. *Quibus dictis ut prius genuflectit, Cantoribus Litanias perficientibus.*

Quibus finitis surgunt omnes, et Sacerdos accepto aspergillo cum aqua benedicta inchoat vel intonat Antiphonam: Asperges me, Domine, hyssopo, *Clero prosequente, ut in Dominicis, si fiat in Cantu Benedictio:* Et Mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor. *Psalmus.* Miserere mei Deus *etc. dicitur totus sine* Gloria Patri. *In fine repetitur Antiphona* Asperges *etc. Dum haec dicuntur, Sacerdos circuit totum Coemeterium, incipiens ad ejus dexteram, aspergens ubique aquam benedictam, praesertim in loco, ubi violatio commissa est.*

Quo peracto redit ad locum, ubi Litaniae dictae fuerunt, et ibi stans, dicit:

Oremus. Flectamus genua. ℟. Levate.

Domine pie, qui agrum figuli pretio Sanguinis tui in sepulturam peregrinorum comparari voluisti; quaesumus, dignanter reminiscere clementissimi hujus Mysterii tui. Tu es enim Domine figulus noster; tu quietis nostrae ager, tu agri hujus pretium. Tu dedisti etiam, et suscepisti. Tu de pretio tui vivifici Sanguinis nos requiescere donasti. Tu ergo, Domine, qui es offensionis nostrae clementissimus Indultor, exspectantissimus Judicator, judicii tui superabundantissimus Miserator; judicium tuae justissimae severitatis abscondens post miserationem tuae piae redemptionis; adesto Exauditor, et Effector nostrae reconciliationis; hoc-

que Coemeterium peregrinorum tuorum coelestis patriae incolatum exspectantium, benignus purifica, et reconcilia; et hic tumulatorum, et tumulandorum corpora de potentia et pietate tuae Resurrectionis ad gloriam incorruptionis non damnans, sed glorificans resuscita. Qui venturus es judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

XVI.

BENEDICTIO SIGNI, SEU CAMPANAE

OMISSIS UNCTIONIBUS.

Inprimis debet campana ipsa ita suspendi, et situari, ut commode possit intus, et extra tangi, tractari, et circuiri; deinde prope ipsam Campanam benedicendam praeparetur credentia, cui superponantur vas aquae benedicendae cum sale, et aliquot aspersoriis ex buxo, vel alia simili fronde confectis ad lotionem Campanae, lintea quoque munda ad eam extergendam, thuribulum et navicula cum thure, atque juxta credentiam ignitabulum cum carbonibus accensis. Diaconus etiam accipit Amictum, Albam, Cingulum, Manipulum, Stolam, et Dalmaticam albi coloris.

His omnibus ordinatis Sacerdos habens licentiam, seu commissionem benedicendi Campanam omissis unctionibus, in Sacristia, aut alio convenienti loco paratus Amictu, Alba,

Cingulo, Stola, et Pluviali albi coloris cum Diacono, aliisque Ministris, et Clericis, seu Choralistis more consueto processionaliter procedit ad Campanam, ubi cum ipsis dicit Psalmos sequentes.

Psalmus 50.

Miserere mei Deus, * secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum, * dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea: * et a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: * et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: * et justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: * et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: * incerta, et occulta Sapientiae tuae manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, et mundabor: * lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium, et laetitiam: * et exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis: * et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: * et Spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua: * et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi laetitiam salutaris tui: * et Spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: * et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meae: * et exultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine labia mea aperies: * et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses Sacrificium, dedissem utique: * holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: * cor contritum et humiliatum, Deus non despicies.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion: * ut aedificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis Sacrificium justitiae, oblationes, et holocausta: * tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri etc. Sicut erat etc.

Psalmus 53.

Deus in Nomine tuo salvum me fac: * et in virtute tua judica me.

Deus exaudi Orationem meam: * auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quaesierunt animam meam: * et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adjuvat me: * et Dominus susceptor est animae meae.

Averte mala inimicis meis: * et in veritate tua disperde illos.

Voluntarie sacrificabo tibi, * et confitebor Nomini tuo Domine: quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: * et super inimicos meos despexit oculus meus.

Gloria Patri etc. Sicut erat etc.

Psalmus 56.

Miserere mei Deus, miserere mei: * quoniam in te confidit anima mea.

Et in umbra alarum tuarum sperabo, * donec transeat iniquitas.

Clamabo ad Deum altissimum, * Deum, qui beneficit mihi.

Misit de coelo, et liberavit me: * dedit in opprobrium conculcantes me.

Misit Deus misericordiam suam, * et veritatem suam, * et eripuit animam meam de medio catulorum leonum: dormivi conturbatus.

Filii hominum dentes eorum arma et sagittae: * et lingua eorum gladius acutus.

Exaltare super coelos Deus, * et in omnem terram gloria tua.

Laqueum paraverunt pedibus meis: * et incurvaverunt animam meam.

Foderunt ante faciem meam foveam: * et nciderunt in eam.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: * Cantabo, et Psalmum dicam.

Exurge gloria mea, exurge Psalterium, et cithara * exurgam diluculo.

Confitebor tibi in populis Domine: * et Psalmum dicam tibi in gentibus.

Quoniam magnificata est usque ad coelos misericordia tua * et usque ad nubes veritas tua.

Exaltare super coelos Deus * et super omnem terram gloria tua.

Gloria Patri etc. Sicut erat etc.

Deinde Psalmus 66. Deus misereatur nostri, *prout habetur supra pag. 98 et 99.*

Psalmus 69.

Deus in adjutorium meum intende: * Domine ad adjuvandum me festina.


Confundantur, et revereantur, * qui quaerunt animam meam.

Avertantur retrorsum, et erubescant, * qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes, * qui dicunt mihi: Euge! Euge!

Exultent et laetentur in te omnes, qui quaerunt te, * et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus, et pauper sum: * Deus adjuva me.



Adjutor meus, et liberator meus es tu: * Domine ne moreris.

Gloria Patri etc. Sicut erat etc.

Psalmus 85.

Inclina Domine aurem tuam, et exaudi me: * quoniam inops, et pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die: * laetifica animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.

Quoniam tu Domine suavis, et mitis, * et multae misericordiae omnibus invocantibus te.

Auribus percipe Domine Orationem meam: * et intende voci deprecationis meae.

In die tribulationis meae clamavi ad te: * quia exaudisti me.

Non est similis tui in Diis Domine: * et non est secundum opera tua.

Omnes gentes, quascunque fecisti, venient, et adorabunt coram te Domine: * et glorificabunt Nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia: tu es Deus solus.

Deduc me Domine in via tua, et ingrediar in veritate tua: * laetetur cor meum, ut timeat Nomen tuum.

Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, * et glorificabo Nomen tuum in aeternum.

Quia misericordia tua magna est super me: * et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quaesierunt animam meam; * et non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu Domine Deus Miserator, et misericors: * patiens, et multae misericordiae, et verax.

Respice in me, et miserere mei, * da imperium tuum puero tuo: et salvum fac filium ancillae tuae.

Fac mecum signum in bonum, ut videant, qui oderunt me, et confundantur: * quoniam tu Domine adjuvisti me, et consolatus es me.

Gloria Patri etc. Sicut erat etc.

Psalmus 129.

De prosundis clamavi ad te Domine: * Domine exaudi vocem meam,

Fiant aures tuae intendentes, * in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris Domine: * Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: * et propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: * speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem, * speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: * et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel, * ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri etc. Sicut erat etc.

Expletis Psalmis benedicit aquam dicens ℣. Adjutorium nostrum *etc. ut supra pag. 11. addens Orationem sequentem post Orationem:* Deus, qui ad salutem humani generis *etc. ante commixtionem salis, et aquae.*

Oremus:

Bene†dic Domine hanc aquam benedictione coelesti, et assistat super eam virtus Spiritus sancti; ut cum hoc vasculum ad invitandos filios sanctae Ecclesiae praeparatum, in ea fuerit tinctum, ubicunque sonuerit hoc tintinnabulum; procul recedat virtus insidiantium, umbra phantasmatum, incursio turbinum, percussio fulminum, laesio tonitruorum, calamitas tempestatum, omnisque spiritus procellarum; et cum clangorem illius audierint filii Christianorum, crescat in eis devotionis augmentum, ut festinantes ad piae matris Ecclesiae gremium; cantent tibi in Ecclesia sanctorum Canticum novum, deferentes in sono praeconium tubae, modulationem psalterii, suavitatem organi, exultationem tympani,

jucunditatem cymbali; quatenus in templo sancto gloriae tuae suis obsequiis et precibus invitare valeant multitudinem exercitus Angelorum. Per Dominum nostrum JEsum Christum filium tuum: qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Posthaec Sacerdos ter mittat sal in aquam in modum Crucis, dicendo semel: Commixtio salis, et aquae pariter fiat, in nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † sancti. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Deus invictae virtutis Author, et insuperabilis imperii Rex, ac semper magnificus Triumphator, qui adversae dominationis vires reprimis, qui inimici rugientis saevitiam superas, qui hostiles nequitias potenter expugnas; te, Domine, trementes et supplices deprecamur ac petimus, ut hanc creaturam salis et aquae dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuae rore sanctifices; ut ubicunque fuerit aspersa, per invocationem sancti tui Nominis, omnis infestatio immundi spiritus abigatur, terrorque venenosi serpentis procul pellatur; et praesentia sancti Spiritus nobis misericordiam tuam poscentibus ubique adesse dignetur. Per

Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

His peractis Sacerdos sumpto aspersorio incipit lavare Campanam intus et foris cum dicta aqua, et Diaconus prosequitur lotionem sumpto similiter aspersorio; deinde lota Campana Ministri eam linteo mundo extergunt, Sacerdote interim cum aliis Ministris et Clericis, seu Choralistis dicente Psalmos sequentes.

Psalmus 145.

Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea: * psallam Deo meo quamdiu fuero.

Nolite confidere in principibus; * in filiis hominum, in quibus non est salus.

Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam: * in illo die peribunt omnes cogitationes eorum.

Beatus, cujus Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius: * qui fecit coelum et terram, mare, et omnia, quae in eis sunt.

Qui custodit veritatem in saeculum, facit judicium injuriam patientibus: * dat escam esurientibus.

Dominus solvit compeditos: * Dominus illuminat caecos.

Dominus erigit elisos, * Dominus diligit justos.

Dominus custodit advenas, pupillum, et viduam suscipiet: * et vias peccatorum disperdet.

Regnabit Dominus in saecula, Deus tuus Sion: * in generatione et generationem.

Gloria Patri etc. Sicut erat etc.

Psalmus 146.

Laudate Dominum, quoniam bonus est Psalmus: * Deo nostro sit jucunda, decoraque laudatio.

Aedificans Jerusalem Dominus: * dispersionem Israelis congregabit.

Qui sanat contritos corde; * et alligat contritiones eorum.

Qui numerat multitudinem stellarum: * et omnibus eis nomina vocat.

Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus: * et Sapientiae ejus non est numerus.

Suscipiens mansuetos Dominus: * humilians autem peccatores usque ad terram.

Praecinite Domino in confessione: * psallite Deo nostro in cithara.

Qui operit coelum nubibus: * et parat terrae pluviam.

Qui producit in montibus faenum: * et herbam servituti hominum.

Qui dat jumentis escam ipsorum: * et pullis corvorum invocantibus eum.

Non in fortitudine equi voluntatem habebit: * nec in tibiis vir; beneplacitum erit ei.

Beneplacitum est Domino super timentes eum: * et in eis qui sperant super misericordia ejus.

Gloria Patri etc. Sicut erat etc.

Deinde Psalmus 147. Lauda Jerusalem Dominum, *prout habetur supra pag. 67.*

Psalmus 148.

Laudate Dominum de coelis: * laudate eum in excelsis.

Laudate eum omnes Angeli ejus: * laudate eum omnes virtutes ejus.

Laudate eum sol et luna: * laudate eum omnes stellae et lumen.

Laudate eum coeli coelorum: * et aquae omnes, quae super coelos sunt, laudent Nomen Domini.

Quia ipse dixit, et facta sunt: * ipse mandavit, et creata sunt.

Statuit ea in aeternum, et in saeculum saeculi: * praeceptum posuit, et non praeteribit.

Laudate Dominum de terra: * dracones, et omnes abyssi:

Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum: * quae faciunt verbum ejus.

Montes, et omnes colles: * ligna fructifera, et omnes cedri.

Bestiae, et universa pecora: * serpentes, et volucres pennatae.

Reges terrae, et omnes populi: * principes et omnes judices terrae.

Juvenes et virgines, senes cum junioribus laudent Nomen Domini: * quia exaltatum est Nomen ejus solius.

Confessio ejus super coelum, et terram: * et exaltavit cornu populi sui.

Hymnus omnibus Sanctis ejus, * filiis Israel, populo appropinquanti sibi.

Sine Gloria Patri.

Psalmus 149.

Cantate Domino Canticum novum: * laus ejus in Ecclesia Sanctorum.

Laetetur Israel in eo, qui fecit eum: * et filii Sion exultent in Rege suo.

Laudent Nomen ejus in choro: * in tympano et Psalterio psallant ei.

Quia beneplacitum est Domino in populo suo: * et exaltabit mansuetos in salutem.

Exultabunt Sancti in gloria: * laetabuntur in cubilibus suis.

Exaltationes Dei in gutture eorum, * et gladii ancipites in manibus eorum.

Ad faciendam vindictam in nationibus, * increpationes in populis.

Ad alligandos Reges eorum in compedibus: * et nobiles eorum in manicis ferreis.

Ut faciant in eis judicium conscriptum: * gloria haec est omnibus Sanctis ejus.

Gloria Patri etc. Sicut erat etc.

Psalmus 150.

Laudate Dominum in Sanctis ejus: * laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: * laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubae: * laudate eum in psalterio et cithara.

Laudate eum in tympano et choro: * laudate eum in chordis, et organo.

Laudate eum in cymbalis bene sonantibus: laudate eum in cymbalis jubilationis: * omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri etc. Sicut erat etc.

Quibus finitis Sacerdos dicit:

Oremus:

Deus, qui beatum Moysen legiferum famulum tuum tubas argenteas fieri praecepisti, quibus dum Sacerdotes tempore Sacrificii clangerent, sonitu dulcedinis populus monitus ad te adorandum fieret praeparatus, et ad celebrandum sacrificia conveniret; quarum clangore

hortatus ad bellum, molimina prosterneret adversantium; praesta, quaesumus, ut hoc vasculum sanctae tuae Ecclesiae praeparatum sancti†ficetur a Spiritu sancto, ut per illius tactum fideles invitentur ad praemium. Et cum melodia illius auribus insonuerit populorum, crescat in eis devotio fidei; procul pellantur omnes insidiae inimici, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum; temperentur infesta tonitrua, ventorum flabra fiant salubriter, ac moderate suspensa; prosternat aëreas potestates dextera tuae virtutis, ut hoc audientes tintinnabulum contremiscant, et fugiant ante sanctae Crucis Filii tui in eo depictum vexillum, cui flectitur omne genu, coelestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confitetur, quod ipse Dominus noster JEsus Christus absorpta morte per patibulum Crucis regnet in gloria Dei Patris, cum eodem Patre, et Spiritu sancto, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde inchoat, Choro prosequente, Antiphonam:

Vox Domini super aquas multas, Deus Majestatis intonuit, Dominus super aquas multas.

Psalmus 28.

Afferte Domino Filii Dei etc. *prout habe-*

tur supra pag. 25 et 26. Resumpta Antiphona Sacerdos dicit:

Oremus:

Omnipotens sempiterne Deus, qui ante arcam foederis per clangorem tubarum, muros lapideos, quibus adversantium cingebatur exercitus, cadere fecisti; tu hoc tintinnabulum coelesti Bene†dictione perfunde; ut ante sonitum ejus longius effugentur ignita jacula inimici, percussio fulminum, impetus lapidum, laesio tempestatum; ut ad interrogationem propheticam: Quid est tibi mare, quod fugisti? suis motibus cum jordanico retroactis fluento respondeant: a facie Domini mota est terra, a facie Dei Jacob, qui convertit petram in stagna aquarum, et rupem in fontes aquarum. Non ergo nobis Domine, non nobis, sed Nomini tuo da gloriam, super misericordia tua; ut quicunque ad sonitum hujus vasis convenerint, ab omnibus inimici tentationibus liberi semper fidei catholicae documenta sectentur. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Tum Sacerdos imponit in thuribulo thus, quo imposito thuribulum ipsum supponitur Campanae seu signo, ut totum fumum recipiat, Choro interim cantante, seu dicente Antiphonam:

Deus in Sancto via tua: quis Deus magnus, sicut Deus noster?

Psalmus 76.

Viderunt te aquae Deus, viderunt te aquae: * et timuerunt, et turbatae sunt abyssi.

Multitudo sonitus aquarum: * vocem dederunt nubes.

Etenim sagittae tuae transeunt: * vox tonitrui tui in rota.

Illuxerunt coruscationes tuae orbi terrae: * commota est et contremuit terra.

In mari via tua, et semitae tuae in aquis multis: * et vestigia tua non cognoscentur.

Deduxisti sicut oves populum tuum, * in manu Moysi, et Aaron.

Gloria Patri etc. Sicut erat etc.

Quibus dictis Sacerdos subjungit:

Oremus:

Omnipotens Dominator Christe, quo secundum carnis assumptionem dormiente in navi, dum oborta tempestas mare conturbasset, te protinus excitato et imperante, dissiluit, tu necessitatibus populi tui benignus succurre; tu hoc tintinnabulum sancti Spiritus rore perfunde; ut ante sonitum illius semper fugiat bonorum inimicus, invitetur ad fidem populus christianus; hostilis terreatur exercitus; confortetur in Do-

mino per illud populus tuus convocatus: ac sicut Davidica cithara delectatus desuper descendat Spiritus sanctus; atque ut Samuele agnum lactentem mactante in holocaustum Regis aeterni imperii, fragor aurarum turbam repulit adversantium; ita dum hujus vasculi sonitus transit per nubila, Ecclesiae tuae conventum manus conservet angelica; fruges credentium, mentes et corpora salvet protectio sempiterna. Per te, Christe JEsu, qui cum Deo Patre vivis et regnas in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Demum Diaconus sacris vestibus albi coloris paratus dicit:

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Sequentia sancti Evangelii secundum † Lucam.
Cap. 10.

In illo tempore: intraxit JEsus in quoddam castellum: et mulier quaedam, Martha nomine, excepit illum in domum suam, et huic erat soror nomine Maria, quae etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium, quae stetit, et ait: Domine, non est tibi curae, quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi, ut me adjuvet. Et respondens

dixit illi Dominus: Martha, Martha, solicita es, et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea.

Finito Evangelio, Sacerdos osculatur librum Evangeliorum per unum ex Ministris sibi porrectum; tum producit super Campanam benedictam signum Crucis, et discedens revertitur ad locum, ubi paramenta accepit, in quo dimissis sacris vestibus vadit in pace.

NOTANDUM. *Si Benedictio Signi, seu Campanae ex privilegio Sedis Apostolicae a Sacerdote simplici fiat etiam cum unctionibus, tunc utatur ritu in Pontificali praescripto.*

XVII.

BENEDICTIO VEXILLI,

SEU SIGNI BELLICI.

Unus ex Ministris coram Sacerdote tenet.

℣. Adjutorium nostrum etc. ℟. Qui fecit etc.
℣. Domine exaudi etc. ℟. Et clamor etc.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Omnipotens sempiterne Deus, qui es cunctorum benedictio, et triumphantium fortitudo,

respice propitius ad preces humilitatis nostrae, et hoc vexillum, quod bellico usui praeparatum est, coelesti Bene†dictione sanctifica: ut contra adversarias et rebelles nationes sit validum, tuoque munimine circumseptum: sitque inimicis christiani populi tui terribile, ac intercedentibus Sanctis tuis solidamentum, et victoriae certa fiducia; tu enim es Deus fortis, qui conteris bella, et coelestis praesidii sperantibus in te praestas auxilium. Per Christum etc.

Aspergatur aqua benedicta, et tradatur ei, cui consignatum est; dicendo:

Accipe Vexillum, coelesti Benedictione sanctificatum, si†gnum inimicis populi christiani terribile; et tibi det Dominus gratiam, ut ad ipsius Nomen, et honorem cum illo hostium cuneos potenter penetres incolumis, et securus. Pax tibi.

XVIII.

BENEDICTIO ENSIS, SEU GLADII.

℣. Adjutorium nostrum etc. ℟. Qui fecit etc.
℣. Domine exaudi etc. ℟. Et clamor etc.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Benedi†cere digneris, quaesumus, Domine, hunc ensem, et istum famulum tuum, qui eum te inspirante suscipere desiderat, pietatis tuae custodia munias, et illaesum custodias ab omnibus inimicis ejus. Per Christum etc. ℟. Amen.

Aspergitur aqua benedicta, et traditur ei, cujus est, genuflexo, dicendo:

Accipe ensem istum in nomine Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † sancti, et utaris eo ad defensionem tuam, et sanctae Dei Ecclesiae, et ad confusionem inimicorum Crucis Christi, ac fidei christianae: et quantum humana fragilitas permiserit, cum eo neminem injuste laedas: quod ipse tibi praestare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in saecula saeculorum. ℟. Amen.

XIX.

BENEDICTIO ARMORUM IN COMMUNI.

Ponuntur super mensam, vel ab aliquo tenentur.

℣. Adjutorium nostrum etc. ℟. Qui fecit etc.
℣. Domine exaudi etc. ℟. Et clamor etc.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Signaculum et Benedictio Dei omnipotentis Pa†tris, et Fi†lii, et Spiritus † sancti, descendat super haec arma, et super induentem, quibus ad tuendam justitiam induatur: rogamus te Domine Deus, ut illum protegas et defendas, qui vivis et regnas Deus. Per omnia saecula saeculorum. Amen.

Oremus:

Deus omnipotens, in cujus manu victoria plena consistit: quique etiam Davidi ad expugnandum rebellem Goliath vires mirabiles tribuisti, clementiam tuam humili prece deposcimus, ut haec arma almifica pietate bene†dicere digneris, et concede famulis tuis (*vel* famulo tuo) eadem gestare cupientibus, ut ad munimen ac defensionem sanctae Matris Ecclesiae, pupillorum et viduarum, contra visibilium et invisibilium hostium impugnationem, ipsi libere et victoriose utantur. Per Christum etc.

Aspergantur aqua benedicta; si ad unum tantum spectent, ponitur in singulari.

SECTIO VII.

OBSERVATIONES,

SEU

INSTRUCTIONES

DE

EXORCISMIS IN GENERE.

I.

Quid et quotuplex sit Exorcismus.

Exorcismus nihil aliud est, quam adjuratio, qua daemones humana corpora, sive aliam rem creatam obsidentes, opprimentes, vel maleficiantes, per divini Nominis invocationem adjurantur.

Alia adjuratio dicitur Imperativa, qua Exorcista daemoni in virtute Dei, et in Nomine JEsu imperat, ut egrediatur, vel nocere desinat; et haec est proprie dictus Exorcismus. Alia deprecativa, qua Deum summum optimum per suam infinitam bonitatem, vel aliam excellentiam rogat, ut daemonem expellat, neque amplius nocumentum rebus creatis inferre patiatur.

Daemones ex hominum corporibus ejecit Christus Dominus Matth. 8. v. 16. et in aliis quoque Evangeliis. Eandem potestatem Matth. 10. v. 8. dedit suis Discipulis, eorumque Successoribus, Ecclesiae videlicet Sacerdotibus, et Ministris, a quibus, ut ait S. Justinus

Martyr Apol. ad Senat. et ad Imp. adjurati daemones per Nomen JEsu Christi parent, et exire coguntur (*a*).

Quamvis Christus Dominus cuilibet credenti generaliter dederit potestatem in Nomine JEsu daemonia ejiciendi, eaque compescendi, juxta illud Marci ult. *Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur: In Nomine meo daemonia ejicient etc.* ab Ecclesia tamen daemonum expulsioni specialiter olim destinatus fuit ordo Exorcistarum, nunc autem ex justis causis, et communi praxi ejusdem Ecclesiae Ministerium exorcizandi ad Sacerdotes proprie et principaliter pertinet ob dignitatem adeo eminentem, per quam super Angelos, et daemones evehuntur.

(*a*) Haec potestas expellendi daemones adeo propria est christianae, et orthodoxae Religionis, ut supra laudatus Martyr ea tanquam indubitabili testimonio probet christianae fidei veritatem: ***Nos, qui in Crucifixum credimus, daemonia cuncta, spiritusque malignos adjurantes, sub potestate nostra habemus subditos.*** Dialog. cum Triphone.

II.

Exorcistae qualitates.

In Exorcizante absolute necessariam esse firmam fidem, et certam fiduciam, manifeste colligitur ex responsione, quam Christus Dominus Matth. 17. v. 19. dedit Discipulis interrogantibus, cur ipsi non potuissent expellere daemonem ab illo lunatico, sicuti ejecerant ex aliis possessis: *Quare non potuimus ejicere illum? propter incredulitatem vestram,* hoc est, imperfectam fidem, et fiduciam vestram, ut passim exponunt sacri Interpretes.

Talem fidem, et fiduciam facile habebit Exorcista,

si attente consideret Deum ratione suae omnipotentiae posse, ratione infinitae bonitatis velle auxiliari, et ratione summae fidelitatis suae etiam certo adfuturum auxilio suo; cum enim fidem suam obstrinxerit, affirmans ad expellendos spiritus rebelles ab obsessis corporibus se opem suam praebiturum, iis praeceptis, quae a suis Ministris suo Nomine proferuntur, dubitari non potest, quin haec promissa sit adimpleturus (*b*).

Praeter dictam fidem, et fiduciam vexatos a daemone exorcizaturus ea, qua par est, pietate, prudentia, ac vitae integritate praeditus esse debet, qui ab omni rerum humanarum cupiditate alienus, tam pium opus ex charitate constanter, et humiliter exequatur.

Hunc praeterea maturae aetatis esse decet, et non solum officio, sed etiam morum gravitate reverendum.

Memor denique Exorcista, Dominum nostrum dixisse genus esse daemoniorum, quod non ejicitur, nisi per Orationem, et Jejunium; haec duo potissimum remedia ad impetrandum divinum auxilium, daemonesque pellendos exemplo sanctorum Patrum, quoad fieri poterit, tum per se, tum per alios curet praevie adhiberi.

(*b*) Haec promissio divina est conditionata duntaxat, si videlicet requisitae adsint dispositiones, hoc est, fides, et fiducia firma, ceu conditiones absolute necessariae tam ex parte Exorcistae, quam ex parte Energumeni, ut infra dicetur §. 8.

III.

Cautelae Exorcistae.

Nullus inprimis Sacerdos, aut Parochus, vel alius inferior, seu saecularis, seu regularis (extra casum ne-

cessitatis) munus exorcizandi homines a daemone pro prie obsessos, vel qui vulgo pro talibus habentur, exerceat, aut alium ad id exercendum admittat, nisi habita prius in scriptis facultate Ordinarii, seu Vicarii ejus in Spiritualibus Generalis.

Non facile credat Exorcista, aliquem a daemone obsessum esse, sed nota habeat ea signa, quibus obsessus dignoscitur ab iis, qui vel atra bile, vel morbo aliquo laborant, vel qui obsessionem fraudulenter simulant, vel denique ex simplicitate sibi imaginantur (*c*).

Caveat sub gravi poena Exorcista, ne vel Medicum, vel Chirurgum agat, praebendo maleficiatis vel obsessis medicinas pure naturales, vel etiam mixtas v. g. praeparando diversa Balnea pro maleficiatis, emblastra, unguenta, massas ex diversis herbis, aut lapidibus etc., quia, praeter id, quod agat contra Ritum, ac Interdictum Ecclesiae, assumit officium, cujus qualitates non habet, et consequenter vitam, ac sanitatem harum miserabilium personarum (prout tristis experientia saepius docuit) plurimis exponit periculis; si tamen omnibus rite perpensis ex parte Exorcistae emergat dubium, an status praetensi Energumeni, aut Maleficiati atrae bili, vel morbo naturali, aut histerico (qui in mulieribus frequenter locum habet) sit adscribendus, expedit hac in re expertum consulere Medicum.

Mulierem exorcizans semper secum habeat honestas personas, quae quidem personae sint patienti, si fieri potest, cognatione proximae.

Universim honestatis memor Exorcista nihil unquam dicat, vel faciat, quod sibi aut aliis occasio esse possit pravae cogitationis.

(*c*) Si unquam alias, hic certe verificatur illud Eccli. 19. ***Qui cito credit, levis est corde.*** Antequam igitur aliquis habeatur pro obsesso, magna prudentia rem pensari oportet, ne potestas haec imperandi omnibus inferorum diabolis, et qualibet humana major exponatur ludibrio Heterodoxorum, aut malevolorum etiam Catholicorum.

Ex centum enim corporibus, quae a daemone obsessa dicuntur, vix duo erunt vere talia, et haec ut plurimum erunt faemellarum, quae plurimis morbis obnoxiae esse solent, et fingunt se esse daemoniacas, licet non sint, inquit Baruffaldus in suis Commentariis ad Rituale Roman. tit. 90. num. 26.

IV.

Signa Obsessorum.

Alia signa obsessorum seu maleficiatorum sunt certa, seu evidentia, alia tantum probabilia, seu conjecturalia, quae non praebent certitudinem, seu evidentiam mali, sed solum conjecturam.

Ad primum genus signorum evidentium pertinent omnes effectus illi, qui oriri non possunt a viribus naturae inferioris, sed requirunt potentiam humana superiorem, ut vel agant, vel crucient. Cujusmodi est, si Energumenus seu maleficiatus bene, et diu loquatur linguis, quas nunquam didicit; vel respondeat Exorcistae, nec tamen intelligat vim illarum vocum, quas proferri audit; vel detegat res ocultas, vel ea efficiat, quae a tali hominum genere effici non possunt, nisi per vires supra aetatis, vel conditionis naturam.

Signa tantum probabilia, seu conjecturalia sunt illi effectus, qui saepe fiunt viribus daemonis, sed possunt etiam fieri a causis omnino naturalibus, e. g. ad sacra verba contremiscere, torsiones, motus, furores insolitos, ac repentinos sentire, horrere, ac detestari divina, et

dolore ab iis affici, corporis, vel alicujus membri insolita inflatio etc.

Si Exorcista nullum evidens, sed solum probabile vexationis diabolicae signum habeat, antequam progrediatur ad actualem expulsionem daemonis, praevie formabit praeceptum probativum, et lenitivum, quibus mediantibus verum, sicut necesse est, facile poterit cognoscere.

De signis obsessorum videri potest Monacellius in Formulario legali practico Fori Ecclesiastici p. 3. tit. 1. form. 47. adnot. 4. ubi ex Martino del Rio disq. magic. lib. 6. q. 3. sect. 2. fuse referuntur.

V.

Praecepta Exorcistae.

Ex communi usu Exorcistarum quintuplicis generis sunt praecepta, quibus potestates tartareae coerceri possunt, videlicet communia, probativa, lenitiva, instructiva, et expulsiva.

Praecepta *communia* sunt, quibus daemon ad aliquid agendum, vel ab aliquo cessandum constringitur, v. g. daemon impedit Energumenum a loquela, progressu etc. tunc Exorcista daemonem hoc, vel simili Praecepto constringit: *Ego N. Minister Christi, et Ecclesiae, in Nomine JEsu Christi praecipio tibi daemon, ne hanc Dei creaturam a loquela etc. impedias.* Est autem hoc praeceptum toties formandum, quoties Exorcistae necessarium, vel utile videbitur.

Praecepta *probativa* dicuntur, quibus utitur Exorcista ad probandum, an quis imaginarie tantum, ficte, vel vere, et realiter sit obsessus, aut maleficio affectus;

si igitur Exorcista in aliquo casu particulari nullum evidens, sed solum probabile vexationis diabolicae signum deprehendat, verumque agnoscere velit, ita se gerat.

Postquam Energumenum circa fidem, et fiduciam modo infra §. 10. explicando instruxerit, vel jam instructum de illis eliciendis monuerit, fide similiter plenus in loco decenti, atque a populi multitudine remoto, praesentibus duntaxat parentibus, aut consanguineis ejus imponat manum super caput infirmi genuflexi, si possibile sit, et praeceptum probativum efformet dicendo:

Ego N. Minister Christi, et Ecclesiae, in Nomine JEsu Christi praecipio vobis, spiritus immundi, si qui latetis in corpore hujus hominis a Deo creati, vel si quo modo eum vexatis, ut statim mihi praebeatis aliquod signum evidens, et certum praesentiae vestrae, agitando hominem hunc, vel coram me efficiendo aliquid ex iis, quae prius me absente in eo efficere soliti eratis.

Hoc Praeceptum proferre oportet in Idiomate latino, et quidem voce submissa, si Energumenus illius gnarus sit; et ita cognosci poterit, an corpus illud vere agitetur a daemone.

Si ad dictum praeceptum probativum Energumenus se vexari fateatur, vel id aliunde appareat, Exorcista mox praecepto lenitivo, ut infra, contrarium efficiat, ut cesset a vexatione; si vero fateatur, se non vexari, non illico dimittat eundem, sed persona illa, vel statim, vel alio tempore bene viso blandis verbis melius disposita, praeceptum probativum dicto modo iterum efformet.

Si porro requisita adsit tam ex parte Exorcistae,

quam Energumeni fides, nullus dubitandi superest locus, quin daemon praestiturus sit obedientiam, secus ulterius procedi non potest; cum statui nequeat, an malum a diabolo fiat.

Praecepta *lenitiva* dicuntur, quibus Exorcista utitur ad vexationes diabolicas coercendas, v. g. si praesente Exorcista persona vel certo, vel probabiliter Energumena in Phrenesin incidat, aliove modo vexetur, mox Exorcista fide viva firmatus praeceptum formet hoc modo:

Ego N. ut Minister Christi, et Ecclesiae, in Nomine, et virtute Domini nostri JEsu Christi praecipio tibi diabolo, vel omnibus, si plures estis, qui vexatis hanc creaturam Dei, ut illico ei nocere desinatis, neque ullam amplius eidem nocendi habeatis potestatem.

Praecepta *instructiva* dicuntur, quibus Exorcista demonstrat vexato daemonis debilitatem, atque obedientiam, plurimumque deserviunt ad radicandam Energumeni fidem, v. g. poterit Exorcista praecipere diabolo: *Ut Minister Christi praecipio tibi in Nomine JEsu, ut leviter manum crucies etc.* quo viso illico super locum vexatum, pollice Crucis signum efformet, praecipiendo dicens: *Iterato, ut Minister Christi, praecipio tibi in Nomine JEsu, ut illico cesses.*

Si per praeceptum probativum, et lenitivum habeatur semel certitudo verae, et realis obsessionis, ita, ut nulla amplius deceptio timenda sit, melius erit similia praecepta, si repetantur, efformare lingua materna, ut sit vexatus se magis conformare, distractiones, et diabolicas tentationes evitare, tantoque firmiorem fidem, et fiduciam concipere queat.

Praecepta denique *expulsiva* sunt ea, quae ad ex-

pulsionem daemonum sunt ordinata, quorum genuinam, et legitimam formam, modosque formandi infra Sectione VIII. videre licebet. Hoc porro praeceptum nunquam formari debet, nisi obsessus conformiter hucusque dictis, et infra dicendis §. 8. perfecte dispositus, et probatus esse comperiatur.

Quia lingua latina Ecclesiae Catholicae usitata est, ordinarie in hoc Exorcismo ultimato, et expulsivo usurpanda erit; cum enim persona patiens eo tempore jam optime disposita supponatur, non ita facile daemoniacis suggestionibus aures praebendo ad aliena divertet.

VI.

Deceptiones daemonis in Obsessis.

Advertat Exorcista, quibus artibus, ac deceptionibus utantur daemones ad Exorcistam decipiendum; solent ut plurimum fallaciter respondere, et difficile se manifestare, ut Exorcista diu defatigatus desistat, aut infirmus videatur non esse a daemonio vexatus (*d*).

Aliquando, postquam sunt manifesti, abscondunt se, et permittunt corpus quasi liberum ab omni molestia, ut infirmus putet, se omnino esse liberatum, sed cessare non debet Exorcista, donec viderit signa liberationis.

Aliquando etiam daemones ponunt, quaecunque possunt, impedimenta, ne infirmus se subjiciat Exorcismis, vel conantur persuadere, infirmitatem esse naturalem; interdum in medio Exorcismi faciunt dormire infirmum, et ei visionem aliquam ostendunt, subtrahendo se, ut infirmus liberatus videatur.

Aliqui ostendunt factum maleficium, et a quibus sit factum, et modum ad illud dissipandum; sed caveat, ne ob hoc ad magos, vel sagas, vel ad alios quam ad Ecclesiae Ministros confugiat, aut ulla superstitione, aut alio modo illicito utatur.

Quandoque diabolus infirmum quiescere, et suscipere sanctissimam Eucharistiam permittit, ut discessisse videatur; denique innumerabiles sunt artes, et fraudes diaboli ad decipiendum hominem, quibus, ne fallatur Exorcista, cautus esse debet.

(*d*) Regula generalis pro Exorcista hac in re sit, ut non facile fidem praestet signis, et verbis diaboli, atque semper de dolo formidet; neque per hoc, quod hujusmodi fraudibus diabolicis aliquando retardetur Exorcizatio, Sacerdos a proposito suo cessare, sed magis, ac magis illi insistere debet, formando, si et quoties opus esse videbitur, praeceptum commune, donec tandem remotis impedimentis, fraudibusque elusis, seu contemptis, mediante praecepto expulsivo inimicus fuerit ejectus.

VII.

Locus, et Tempus exorcizandi.

In Ecclesiam, si commode fieri potest, vel in alium religiosum, et honestum locum seorsim a multitudine perductus Energumenus exorcizetur.

Si vero fuerit aegrotus, vel persona nobilis, vel de alia rationabili causa, in domo privata exorcizari poterit, praesentibus viris, vel foeminis devotis simul jejunantibus, ac orantibus, seclusis aliis ex curiositate solum adesse volentibus.

Exorcizatio semper fiat tempore diurno, ita, ut ante solis ortum neque inchoetur, neque post ejusdem occasum usque ad noctem seram protrahatur.

Observet insuper Exorcista, ne praeceptis daemonem adjurare incipiat eo tempore, quo Energumenus est valde perturbatus; tunc enim ille animum non advertens instructioni, necessariam fidem non concipiet, neque incumbet, ut par est, ad sperandum in Domino.

Eadem de causa neque Exorcista hujusmodi praecepta formare tunc aggrediatur, cum ipse est perturbatus, vel mente summopere vagatur; sed prius ipse se colligat, revocetque in mentem potestatem in sacro ordine acceptam, et virtutem sanctissimo Nomini JEsu divinitus promissam.

Particulariter hic advertendum est, reperiri aliqua maleficia, in quibus daemon nec invadit membra, nec assiduo inest maleficiato, sed solum certis temporibus redit ad illum vexandum; cum igitur fieri possit, ut adveniente Exorcista malignus, et callidus hostis recedat, ne cogatur quaesitum signum edere, oportet ab Exorcista non solum daemonem praesentem adjurari praecepto suo, sed simul imperari viva fide, ut, si forte ille absit, statim accedat, et exequatur, quidquid illi praecipitur, videlicet se manifestet aliquid ex iis efficiendo, quae alias efficere solet.

VIII.

Modus procedendi cum Energumenis, eorumque dispositio ad exorcizandum.

Si Exorcista curam Energumeni in se suscipere velit, ante omnia diligenter ejusdem parentes, consanguineos, ejusque familiares interroget.

Deinde ipsum obsessum vultu sereno, verbis compassione plenis quaerat de statu, et progressu morbi, simulque fixis oculis ejus situm, modum agendi, aliasque dispositiones consideret.

Si nullum haberi possit signum probabile, ad implorandum divinum auxilium, et ad peritum Medicum esse confugiendum edoceat; quodsi vero aliquod signum saltem probabile appareat, eundem magna diligentia ad exorcizandum disponat.

Admoneatur igitur obsessus, si mente, et corpore valet, ut pro se ferventer oret Deum, Ecclesias visitet, ac jejunet, sacraque Confessione, et Communione ad arbitrium Sacerdotis se communiat, minima etiam peccata evitet, et dum exorcizatur, totum se colligat, et ad Deum se convertat, ac firma (*e*) fide salutem ab eo deposcat, cum omni humilitate, et cum vehementius vexatur, patienter sustineat, nihilque diffidens de auxilio Dei, daemoni ipsemet praecipiat in Nomine JEsu, ut cesset a vexatione.

Instruatur etiam obsessus, ut tentationes suas omnes Exorcistae patefaciat, et omnia illius jussa accuratissime exequatur, exspoliando se omni propria voluntate, ut hoc modo majora daemoni adimat arma, quibus hominem oppugnat, nempe propriam voluntatem.

Habeat prae manibus, et in conspectu Crucifixum; Reliquiae Sanctorum quoque, ubi haberi possunt, decenter ac tuto loco colligatae, et coopertae, ad pectus, vel ad caput obsessi reverenter admoveantur; sed caveatur, ne res sacrae indigne tractentur, aut illis a daemone ulla fiat injuria; sanctissima vero Eucharistia super caput obsessi, aut aliter ejus corpori nunquam admoveatur, ob irreverentiae periculum.

Ad usum rerum sacrarum etiam reducuntur signum S. Crucis: invocatio Ss. Nominis JEsu: Imagines Christi, B. V. Mariae, et aliorum Sanctorum: aspersio aquae benedictae in Dominicis, et in Vigilia Epiphaniae,

nec non in Vigiliis Paschae, ac Pentecostes ante infusionem Ss. Oleorum: comestio, vel gustatio olei communis, salis, panis etc. benedictorum: gestatio, vel detentio Cerae Papalis, item sic dictorum Brevium, seu Amuletorum, quae res N.B. juxta Ritum, seu Ordinationem Ecclesiae benedictas, nominatim Imagines, item medalia, seu numismata Christi, B. V. Mariae, et aliorum Sanctorum, aliquid de Cera Papali, de thure sive incenso, de ramis Palmarum, de herbis Assumptionis B. V. Mariae, de quinque granis Cerei Paschalis etc. continent; illa vero Amuleta, quae aliis simul rebus seu ineptiis repleri solent, omnino sunt prohibita, nec ullibi a Parochis toleranda.

(*e*) In Energumeno, seu maleficiato non minus, quam in Exorcista absolute requiritur fides firma, et fiducia inconcussa, ut clare patet ex sacra Scriptura Matth. 17. v. 16. ubi Christus defectum non expulsi daemonis non in solam incredulitatem Discipulorum, sed etiam in incredulitatem aliorum rejecit, dicens: *O generatio incredula etc.*

Sic pariter Christus ordinarie fidem ab eis requisivit, qui aliquod a se beneficium poposcissent; unde Matth. 9. v. 28. quaesivit: *Creditis, quia possum facere hoc?* et mox v. 29. subjunxit: *Secundum fidem vestram fiat vobis.* Item Marc. 9. v. 22. *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.*

Ad hanc proinde fidem, et fiduciam concipiendam Exorcista Energumenum omni meliori modo disponere satagat, eumque in finem eidem praevie in memoriam revocet omnipotentiam Dei, infinitam bonitatem, et veritatem promissionum ejus, ut supra dictum est de Exorcista §. 2. de ejusdem qualitatibus.

IX.

Modus exorcizandi.

Exorcista ne vagetur in multiloquio, aut supervacaneis, vel curiosis interrogationibus ad expulsionem daemonis non pertinentibus, sed jubeat immundum spiritum tacere, neque ei credatur, si daemon simularet se esse animam alicujus Sancti, vel Defuncti, vel Angelum bonum.

Daemonis porro nugas, risus, aut ineptias Exorcista cohibeat, aut contemnat, et circumstantes, qui pauci esse debent, admoneat, ne haec curent, neque ipsi interrogent obsessum, sed potius humiliter, et enixe Deum pro eo precentur.

Similiter Exorcista in nulla re voluntati daemonis obsecundet, qui per varias artes, et machinamenta tueri contendit potestatem suam, et remorari, vel impedire Exorcistae potestatem, cui subesse cogitur. Sed potius daemonis superbiam praeceptis communibus et instructivis retundere satagat, ac prius ad Exorcismum expulsivum non progrediatur, quam expertus fuerit, daemonem praeceptis suis exactam praestitisse, vel praestare obedientiam.

Caeterum Exorcismos legat Exorcista cum imperio, et auctoritate, magna fide, et fiducia, humilitate (*f*) atque fervore: et cum viderit, obsessum in aliqua corporis parte commoveri, aut pungi, aut tumorem alicubi apparere, ibi, si salva honestate fieri possit, faciat signum Crucis, et aquam benedictam aspergat, quam exorcizando in promptu habeat.

(*f*) Humilitas est virtus ex diametro opposita diabolo, qui pater est superbiae, et propterea contra eundem magnam virtutem habet, vocaturque a S. Bernardo Serm. 85. flagellum diaboli.

X.

Praxis disponendi Energumenum ad firmam spem, et fiduciam.

Energumenus, seu maleficiatus ante actualem exorcizationem ad concipiendam firmam spem, et fiduciam optime, et facillime disponi poterit per sequentes, vel alias similes interrogationes:

Glaubet ihr ungezweifelt, daß Gott allmächtig sey, und vermöge seiner Allmacht alle höllischen Feinde augenblicklich von euch vertreiben könne?

Glaubet ihr auch, daß Gott unendlich barmherzig sey, und als ein barmherzigster Vater euch helfen, und von aller teuflischen Plage erlösen wolle?

Glaubt ihr, daß Gott mir, als seinem und seiner heiligen Kirchen rechtmäßigen Diener, Macht und Gewalt gegeben, in dem heiligsten Namen JEsus alle Teufel von den Menschen, und allen ihren Sachen zu vertreiben?

Glaubt ihr auch, daß, weil ich solche Macht und Gewalt von Gott bekommen, die höllischen Feinde mir und allen meinen Befehlen nothwendig gehorsamen müssen?

Glaubt ihr, daß Gott durch eben diese Macht und Gewalt uns Menschen, wenn wir anders einen festen Glauben und Hoffnung haben, gegen alle teuflischen Plagen zu helfen versprochen?

Glaubt ihr auch, daß Gott in Haltung und Erfüllung seines Versprechens unendlich getreu sey?

Sprecht also von ganzem Herzen wie folgt:

O mein Gott und Alles! ich glaube festiglich, daß du seyest ein allmächtiger Gott, der mir augenblicklich helfen kann; ein barmherzigster Vater, der mir helfen will; ein getreuester Gott, der mir zu helfen versprochen; auf dich, o Herr! habe ich gehofft, und werde in Ewigkeit nicht zu Schanden werden. Wenn Gott für mich, wer soll oder kann wider mich seyn? was für eine Gewalt des höllischen Feindes soll mich überwinden?

SECTIO VIII.

ORDO TRIPLEX

EXORCIZANDI OBSESSOS A DAEMONIO.

I.

ORDO EXORCIZANDI OBSESSOS

EX RITUALI ROMANO.

S*acerdos, sive alius Exorcista, rite confessus, aut saltem corde peccata sua detestans, peracto, si commode fieri potest, sanctissimo Missae Sacrificio, divinoque auxilio piis precibus implorato, superpelliceo et stola violacea,*

cujus extrema pars ad obsessi collum circumponatur, indutus, et coram se habens obsessum ligatum, si fuerit periculum, eum, se, et astantes communiat signo Crucis, et aspergat aqua benedicta, et genibus flexis, aliis respondentibus, dicat Litanias ordinarias usque ad preces exclusive. In fine Antiphona:

Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris. Pater noster etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

Psalmus 53.

Deus, in Nomine tuo salvum me fac: * in virtute tua judica me.

Deus, exaudi Orationem meam: * auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quaesierunt animam meam: * et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adjuvat me: * et Dominus susceptor est animae meae.

Averte mala inimicis meis: * et in veritate tua disperde illos.

Voluntarie sacrificabo tibi: * et confitebor Nomini tuo Domine, quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: * et super inimicos meos despexit oculus meus.

Gloria Patri etc.

℣. Salvum fac servum tuum. ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto. ℟. Et de Sion tuere eum. ℣. Domine exaudi Orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere: suscipe deprecationem nostram, ut hunc famulum tuum (hanc famulam tuam) quem (quam) delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

ORATIO.

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, Pater Domini nostri JEsu Christi, qui illum refugum tyrannum et apostatam gehennae ignibus deputasti, quique Unigenitum tuum in hunc mundum misisti, ut illum rugientem contereret; velociter attende, accelera, ut eripias hominem ad imaginem et similitudinem tuam creatum, a ruina et daemonio meridiano. Da Domine terrorem tuum super bestiam, quae exterminat vineam tuam. Da fiduciam servis

tuis contra nequissimum draconem pugnare fortissime: ne contemnas sperantes in te, et ne dicat, sicut in Pharaone, qui jam dixit: Deum non novi, nec Israel dimitto. Urgeat illum dextera tua potens discedere a famulo tuo N. (*vel* famula tua N.) † ne diutius praesumat captivum tenere, quem tu ad imaginem tuam facere dignatus es, et in Filio tuo redemisti. Qui tecum vivit et regnat etc. ℟. Amen.

Deinde praecipiat daemoni hunc in modum.

Praecipio tibi, quicunque es, spiritus immunde, et omnibus sociis tuis, hunc Dei famulum obsidentibus, ut per mysteria Incarnationis, Passionis, Resurrectionis, et Ascensionis Domini nostri JEsu Christi, per missionem Spiritus sancti, et per Adventum ejusdem Domini nostri ad judicium, ut mihi Dei ministro, licet indigno, prorsus in omnibus obedias, neque hanc creaturam Dei, vel circumstantes, aut eorum bona ullo modo offendas.

Deinde legantur super obsessum haec Evangelia, vel unum, aut alterum Lectio sancti Evangelii secundum Joannem. *Haec dicens, signat se, et obsessum in fronte, ore, et pectore.* In principio erat Verbum *etc. ut supra in Benedictione vini S. Joannis pag. 18 et 19.*

Lectio Sancti Evangelii secundum Marcum.
Cap. 16.

In illo tempore, dixit JEsus discipulis suis: Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur: In Nomine meo daemonia ejicient: linguis loquentur novis: serpentes tollent: et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super aegros manus imponent, et bene habebunt.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.
Cap. 10.

In illo tempore, reversi sunt septuaginta duo cum gaudio, dicentes ad JEsum: Domine, etiam daemonia subjiciuntur nobis in Nomine tuo. Et ait illis: Videbam satanam, sicut fulgur, de coelo cadentem. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici, et nihil vobis nocebit. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur: gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in coelis.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.
Cap. 11.

In illo tempore, erat JEsus ejiciens daemonium; et illud erat mutum; et cum ejecisset

daemonium, locutus est mutus, et admiratae sunt turbae. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe daemoniorum ejicit daemonia; et alii tentantes, signum de coelo quaerebant ab eo. Ipse autem, ut vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet. Si autem et satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus? quia dicitis in Beelzebub me ejicere daemonia. Si autem ego in Beelzebub ejicio daemonia, filii vestri in quo ejiciunt? ideo ipsi judices vestri erunt. Porro si in digito Dei ejicio daemonia, profecto pervenit in vos regnum Dei. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quae possidet. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet.

℣. Domine exaudi Orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Omnipotens Domine, Verbum Dei Patris, Christe JEsu, Deus et Dominus universae creaturae, qui sanctis Apostolis tuis dedisti potestatem calcandi super serpentes et scorpiones; qui inter caetera mirabilium tuorum praecepta

dignatus es dicere: daemones effugite; cujus virtute motus, tanquam fulgur de coelo, satanas cecidit; tuum sanctum Nomen cum timore et tremore suppliciter deprecor, ut indignissimo mihi servo tuo, data venia omnium delictorum meorum, constantem fidem et potestatem donare digneris, ut hunc crudelem daemonem, brachii tui sancti munitus potentia fidenter et securus aggrediar, per te, JEsu Christe, Domine Deus noster, qui venturus es judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde muniens se, et obsessum signo Crucis, circumposita parte stolae ad collum ejus, et dextera manu sua capiti ejus imposita, constanter et magna cum fiducia dicat ea, quae sequuntur.

℣. Ecce Crucem Domini, fugite partes adversae. ℟. Vicit Leo de tribu Juda, radix David. ℣. Domine exaudi Orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Deus et Pater Domini nostri JEsu Christi, invoco Nomen sanctum tuum, et clementiam tuam supplex exposco, ut adversus hunc, et omnem immundum spiritum, qui vexat hoc plasma tuum, mihi auxilium praestare digneris.

Per eundem Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat etc. ℟. Amen.

EXORCISMUS.

Exorcizo te immundissime spiritus, omnis incursio adversarii, omne phantasma, omnis legio, in Nomine Domini nostri JEsu Christi † eradicare et effugare ab hoc plasmate Dei †. Ipse tibi imperat, qui te de supernis coelorum in inferiora terrae demergi praecepit. Ipse tibi imperat, qui mari, ventis, et tempestatibus imperavit. Audi ergo, et time satana, inimice fidei, hostis generis humani, mortis adductor, vitae raptor, justitiae declinator, malorum radix, fomes vitiorum, seductor hominum, proditor gentium, incitator invidiae, origo avaritiae, causa discordiae, excitator dolorum. Quid stas et resistis, cum scias, Christum Dominum vires tuas perdere? illum metue, qui in Isaac immolatus est, in Joseph venundatus, in agno occisus, in homine crucifixus, deinde inferni triumphator fuit. *Sequentes Cruces fiant in fronte Obsessi:* Recede ergo in Nomine Patris † et Filii † et Spiritus † sancti; et da locum Spiritui sancto, per hoc signum † Crucis JEsu Christi Domini nostri. Qui cum Patre et eodem Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Deus conditor et defensor generis humani, qui hominem ad imaginem tuam formasti: respice super hunc famulum tuum, N. qui (hanc famulam tuam N. quae) dolis immundi spiritus appetitur, quem (quam) vetus adversarius, antiquus hostis terrae, formidinis horrore circumvolat, et sensum mentis humanae stupore defigit, terrore conturbat, et metu trepidi timoris exagitat. Repelle, Domine, virtutem diaboli, fallacesque ejus insidias amove: procul impius tentator aufugiat: sit Nominis tui signo † (*in fronte*) famulus tuus munitus, et in animo tutus et corpore. *Tres Cruces sequentes fiant in pectore daemoniaci.* Tu pectoris † hujus interna custodias. Tu viscera † regas. Tu † cor confirmes. In anima adversatricis potestatis tentamenta evanescant. Da, Domine, ad hanc invocationem sanctissimi Nominis tui gratiam, ut qui hucusque terrebat, territus aufugiat, et victus abscedat, tibique possit hic famulus tuus, et corde firmatus, et mente sincerus debitum praebere famulatum. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, qui tecum etc. ℟. Amen.

EXORCISMUS.

Adjuro te, serpens antique, per Judicem vivorum et mortuorum, per factorem tuum, per factorem mundi, per eum, qui habet potestatem te mittendi in gehennam, ut ab hoc famulo Dei N. qui ad Ecclesiae finum recurrit, cum metu et exercitu furoris tui festinus discedas. Adjuro te iterum † (*in fronte*) non mea infirmitate, sed virtute Spiritus sancti, ut exeas ab hoc famulo Dei N. quem omnipotens Deus ad imaginem suam fecit. Cede igitur, cede non mihi, sed Ministro Christi. Illius enim te urget potestas, qui te Cruci suae subjugavit. Illius brachium contremisce, qui devictis gemitibus inferni, animas ad lucem perduxit. Sit tibi terror corpus hominis, † (*in pectore*) sit tibi formido imago Dei, † (*in fronte*) non resistas, nec moreris discedere ab homine isto, quoniam complacuit Christo in homine habitare. Et ne contemnendum putes, dum me peccatorem nimis esse cognoscis. Imperat tibi Deus †; Imperat tibi Majestas Christi †; Imperat tibi Deus Pater †; Imperat tibi Deus Filius †; Imperat tibi Deus Spiritus † sanctus; Imperat tibi Sacramentum Crucis †; Imperat tibi fides sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et caeterorum Sanctorum †; Imperat tibi Martyrum sanguis †; Imperat tibi continentia Confessorum †; Imperat tibi pia Sanctorum et Sancta-

rum omnium intercessio †, Imperat tibi Christianae fidei mysteriorum virtus †, Exi ergo transgressor. Exi seductor, plene omni dolo et fallacia, virtutis inimice, innocentium persecutor. Da locum dirissime; da locum impiissime; da locum Christo, in quo nihil invenisti de operibus tuis, qui te spoliavit, qui regnum tuum destruxit, qui te victum ligavit, et vasa tua diripuit, qui te projecit in tenebras exteriores, ubi tibi cum ministris tuis erit praeparatus interitus. Sed quid truculente reniteris? quid temerarie detrectas? reus es omnipotenti Deo, cujus statuta transgressus es. Reus es Filio ejus, JEsu Christo Domino nostro, quem tentare ausus es, et crucifigere praesumpsisti. Reus es humano generi, cui tuis persuasionibus mortis venenum propinasti.

Adjuro ergo te, draco nequissime, in Nomine Agni † immaculati, qui ambulavit super aspidem et basiliscum, qui conculcavit leonem et draconem, ut discedas ab hoc homine † (*fiat in fronte:*) discedas ab Ecclesia Dei † (*fiat signum Crucis super circumstantes:*) contremisce et effuge, invocato Nomine Domini illius, quem inferi tremunt, cui virtutes coelorum, et potestates, et dominationes subjectae sunt; quem Cherubim et Seraphim indefessis vocibus laudant, dicentes: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Imperat tibi

Verbum † caro factum. Imperat tibi Natus † ex Virgine. Imperat tibi JEsus † Nazarenus, qui te, cum Discipulos ejus contemneres, elisum atque prostratum exire praecepit ab homine; quo praesente, cum te ab homine separasset, nec porcorum gregem ingredi praesumebas. Recede ergo nunc adjuratus in Nomine † ejus ab homine, quem ipse plasmavit. Durum est tibi contra stimulum calcitrare †, quia quanto tardius exis, tanto magis tibi supplicium crescit; quia non homines contemnis, sed illum, qui dominatur vivorum et mortuorum: qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi Orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Deus coeli, Deus terrae, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Virginum, Deus, qui potestatem habes donare vitam post mortem, requiem post laborem, quia non est alius Deus praeter te, nec esse poterit verus, nisi tu Creator coeli et terrae, qui verus Rex es, et cujus regni non erit finis; humiliter Majestati gloriae tuae supplico, ut hunc famu-

lum tuum de immundis spiritibus liberare digneris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

EXORCISMUS.

Adjuro ergo te, omnis immundissime spiritus, omne phantasma, omnis incursio satanae, in Nomine JEsu Christi † Nazareni, qui post lavacrum Jordanis in desertum ductus est, et te in tuis sedibus vicit, ut, quem ille de limo terrae ad honorem gloriae suae formavit, tu desinas impugnare: et in homine miserabili, non humanam fragilitatem, sed imaginem omnipotentis D e i contremiscas. Cede ergo Deo †, qui te, et malitiam tuam in Pharaone, et in exercitu ejus per Moysen servum suum in abyssum demersit. Cede Deo †, qui te per fidelissimum servum suum David de Rege Saule spiritualibus canticis pulsum fugavit. Cede Deo †, qui te in Juda Iscariote proditore damnavit. Ille enim te divinis † verberibus tangit, in cujus conspectu cum tuis legionibus tremens et clamans dixisti: Quid nobis et tibi JEsu Fili Dei altissimi? Venisti huc ante tempus torquere nos? Ille te perpetuis flammis urget, qui in fine temporum dicturus est impiis: Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Tibi enim impie, et angelis tuis vermes erunt,

qui nunquam morientur. Tibi et angelis tuis inextinguibile praeparatur incendium, quia tu es princeps maledicti homicidii; tu auctor incestus, tu sacrilegorum caput, tu actionum pessimarum Magister, tu haereticorum doctor, tu totius obscoenitatis inventor. Exi ergo † impie, exi † scelerate, exi cum omni fallacia tua, quia hominem templum suum esse voluit Deus, sed quid diutius moraris hic? da honorem Deo Patri omnipotenti †, cui omne genu flectitur. Da honorem Domino JEsu Christo †, qui pro homine Sanguinem suum sacratissimum fudit. Da locum Spiritui † sancto, qui per beatum Apostolum suum Petrum te manifeste stravit in Simone Mago; qui fallaciam tuam in Anania et Saphira condemnavit; qui te in Herode Rege, honorem Deo non dante, percussit; qui te in Mago Elima per Apostolum suum Paulum caecitatis caligine perdidit, et per eundem de Pythonissa verbo imperans exire praecepit. Discede ergo nunc †, discede † seductor. Tibi eremus sedes est. Tibi habitatio serpens est: humiliare et prosternere. Jam non est differendi tempus. Ecce enim Dominator Dominus proximat cito, et ignis ardebit ante ipsum, et praecedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus. Si enim hominem fefelleris, Deum non poteris irridere. Ille te ejicit, cujus oculis nihil occultum est. Ille te expellit, cujus virtuti

universa subjecta sunt. Ille te excludit, qui tibi et angelis tuis praeparavit aeternam gehennam; de cujus ore exibit gladius acutus: qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

Praedicta omnia, quatenus opus fuerit, repeti possunt, donec obsessus sit omnino liberatus.

Juvabit praeterea plurimum, haec, quae infra notantur, supra obsessum devote dicere, saepeque repetere.

Pater noster etc. Ave Maria etc. Credo etc.

I. Canticum Beatae Mariae Virginis. Magnificat anima mea *etc. ut in Breviario ad Vesp. Dominic.*

II. Canticum Benedictus Dominus Deus Israel *etc. ut ad Laud. in Dominic.*

III. Symbolum sancti Athanasii Quicunque vult salvus esse *etc. ut in Dominic. ad Primam.*

IV. Psalmus 90. Qui habitat in adjutorio Altissimi *etc. ut in Complet. 3tio loco.*

V. Psalmus 67. Exurgat Deus *etc. feria 4ta ad Matut. ultimo loco.*

VI. Psalmus 69. Deus in adjutorium meum, *etc. Feria 5ta ad Matut. 2do loco.*

VII. Psalmus 53. Deus in Nomine tuo salvum me fac *etc. in Dominic. ad Primam 1mo loco.*

VIII. Psalmus 117. Confitemini Domino, quoniam *etc. ut in Dominic. ad Primam 2do loco.*

IX. Psalmus 34. Judica Domine nocentes me *etc. Feria 2da ad Matut. loco 9no.*

X. Psalmus 30. In te Domine speravi *etc. Feria 2da ad Matut. 5to loco.*

XI. Psalmus 21. Deus Deus meus, respice in me *etc. In feriali Officio ad Prim. 6to loco.*

XII. Psalmus 3. Domine quid multiplicati sunt *etc. In Dominic. ad Matut. 1. Nocturno 3tio loco.*

XIII. Psalmus 10. In Domino confido *etc. In Dominic. ad Matut. 1. Nocturno 8vo loco.*

XIV. Psalmus 12. Usquequo Domine *etc. In Dominic. ad Matut. 1. Nocturno 10mo loco.*

ORATIO

POST LIBERATIONEM.

Oramus te, Deus omnipotens, ut spiritus iniquitatis amplius non habeat potestatem in hoc famulo tuo N. (hac famula tua N.), sed ut fugiat, et non revertatur. Ingrediatur in eum (eam) Domine, te jubente, bonitas et pax Domini nostri JEsu Christi, per quem redempti sumus, et ab omni malo non timemus, quia Dominus nobiscum est. Qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

II.

ORDO BREVIOR EXORCIZANDI

OBSESSOS A DAEMONIO.

F*acta praeparatione, ut supra, recitentur Litaniae omnium Sanctorum usque ad preces exclusive, quarum loco dicat Exorcista, quae sequuntur:*

Antiph. Ne reminiscaris Domine delicta nostra vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris. Pater noster etc. ℣. Et ne nos inducas etc. ℟. Sed libera etc. ℣. Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus. ℟. Et fugiant, qui oderunt eum a facie ejus. ℣. Salvum fac servum tuum (ancillam tuam). ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo (ea). ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Domine exaudi Orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice, et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte.

Omnipotens sempiterne Deus, salus aeterna

credentium: exaudi nos pro famulo tuo infirmo (famula tua infirma), pro quo (qua) misericordiae tuae imploramus auxilium: ut reddita sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua referat actiones.

Hostium nostrorum, quaesumus Domine, elide superbiam: et eorum contumaciam dexterae tuae virtute prosterne.

Deus qui contritorum non despicis gemitum; et maerentium non spernis affectum; adesto supplicationibus nostris, quas tibi pro tribulatione nostra effundimus, easque clementer exaudi: ut quidquid contra nos adversariae moliuntur potestates, ad nihilum redigatur, et consilio tuae pietatis allidatur; quatenus nullis adversitatibus laesi, sed de omni tribulatione et angustia erepti, laeti in Ecclesia tua gratias referamus. Per Dominum nostrum etc. ℟. Amen.

Deinde muniens se, et obsessum signo Crucis, circumposita parte stolae ad collum ejus, et dextera manu sua capiti ejus imposita, constanter, et magna cum fide dicat ea, quae sequuntur.

℣. Ecce Crucem † Domini, fugite partes adversae. ℟. Vicit leo de tribu Juda radix David.

℣. Domine exaudi Orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Deus, et Pater Domini nostri JEsu Christi, invoco Nomen sanctum tuum, et clementiam tuam supplex exposco, ut adversus hunc, et omnem immundum spiritum, qui vexat hoc plasma tuum, mihi auxilium praestare digneris. Per eundem Dominum nostrum JEsum Christum etc.

His finitis Exorcista quasi pro tribunali sedens ceu judex a Deo deputatus voce gravi non tamen clamorosa Exorcismum pronuntiet, ut sequitur:

EXORCISMUS AD DAEMONEM
AB ENERGUMENO EXPELLENDUM.

Contra te maledicte daemon (*vel* si plures estis) contra vos, spiritus immundi, et apostatici, qui Dominum Deum vestrum dereliquistis, et obliti estis Dei Creatoris vestri, constitutus sum a Deo ego N. Minister Christi, et Ecclesiae; ideo auctoritate, quam accepi a Deo, et ab Ecclesia in ordine Exorcistatus, in Nomine sanctissimae Trinitatis, et in virtute Domini nostri JEsu Christi, praecipio vobis omnibus, et singulis, ut in omnibus, quae nunc vobis praecepero, sine ulla mora ad amussim mihi obediatis.

Praecipio ergo vobis eadem auctoritate, ut in exitu vestro non audeatis vos, nec quicun-

que alii daemones, aliquod malum facere, vel nocumentum inferre isti creaturae, nec mihi, nec astantibus, nec quibuscunque aliis creaturis, tam animatis, quam inanimatis; quinimo in exitu vestro vobiscum trahatis omnes vestras diabolicas infectiones; ac removeatis omnia noxia, quae hucusque sive extrinsece, sive intrinsece intulistis corpori istius creaturae: ac destruatis omnia maleficia, facturas, ac ligaturas, quas fecistis contra creaturam Dei.

Audite ergo spiritus rebelles, et apostatici ultimum meum praeceptum, quod illico ac festinanter adimplere debetis: eadem auctoritate, qua supra in Nomine sanctissimae Trinitatis, et in virtute sanctissimi Nominis Domini nostri JEsu Christi praecipio vobis, daemones infernales, ut exeatis a corpore istius creaturae Dei, et totaliter ab ea recedatis, ita, ut non amplius habeatis potestatem nocendi ei intrinsece, neque extrinsece, nec ullo modo eam perturbandi infirmitatibus, timoribus, visionibus, apparitionibus, nec aliis quibuscunque modis.

Exite ergo spiritus immundi; sic volo, sic jubeo vobis, ut Minister Christi, et Ecclesiae: in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Si facto Exorcismo Energumenus nullum amplius patitur ex iis effectibus, quos experiri

prius consueverat, judicari poterit prorsus a daemone liber, et Exorcista Deo gratias referat cum illo.

Si autem daemon rursus aliquod praesentiae suae signum ederet, eo tempore nihil aliud agat, sed solummodo admoneat maleficiatum ad liberationem ipsius majorem fidem, et fiduciam requiri, clariusque se agniturum alia vice, unde oriatur defectus.

In dubio praeceptum probativum efformet his, vel similibus verbis: Ego N. ut Minister Christi, et Ecclesiae in nomine JEsu Christi praecipio tibi, daemon, vel si plures estis, vobis omnibus, et singulis, ut si adhuc aliquam in hanc Dei creaturam potestatem habeatis, statim mihi detis signum evidens vestrae potestatis, ac praesentiae, aliquam in ea causando vexationem earum, quas prius causare consueveratis.

Si daemon adhuc praesens sit, haud dubie praecepto resistere non poterit, sed petitam causabit vexationem; si vero nullum det signum certum suae possessionis, nec ullam causet vexationem, de liberatione perfecta nullo modo erit dubitandum.

Denique pro gratiarum actione dicatur Hymnus: Te Deum laudamus etc. *quo dicto dicantur sequentia:*

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine exaudi Orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Gratias agimus tibi, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus; gratias agimus tibi Christe, verbum aeterni Patris; gratias agimus tibi Spiritus alme; quia elisus est draco. Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob miserere famulo tuo N. (famulae tuae N.) a diabolica potestate liberato (liberatae), et in ejus adjutorium sanctum dirige Michaelem, qui eum (eam) protegat, visitet, atque defendat ab omnibus inimicis suis. Qui vivis, et regnas etc.

Oremus:

Omnipotens sempiterne Deus, qui liberare dignatus es hunc famulum tuum N. (hanc famulam tuam N.) a vexatione satanae, et ministrorum ejus; mitte in eum (eam) septiformem Spiritum sanctum paraclitum de coelis.

Quaesumus, omnipotens Deus, famulum tuum N. (famulam tuam N.) propitius respice, ut te largiente protegatur in corpore, et te servante custodiatur in mente. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Post haec Exorcista personam liberatam aqua benedicta aspergendo benedicat dicens:

Benedictio Dei omnipotentis Patris †, et Filii, et Spiritus sancti, descendat super te, et maneat semper. Amen.

III.

ORDO BREVISSIMUS EXORCIZANDI
IN DEFECTU TEMPORIS.

Si coram Exorcista in defectu temporis Energumenus, vel maleficio infectus compareat, inprimis breviter in fide, et fiducia instruatur, deinde jubeatur, ut genuflexus corde, et ore contritionem, actusque confidentiae eliciat, atque Deum pro sua liberatione precetur. Quo facto Exorcista similiter dispositus sedeat, et patiente genuflexo sequens praeceptum expulsivum formet:

Ego N. ut Minister Christi, et Ecclesiae praecipio tibi daemon in Nomine Domini nostri JEsu Christi, ut immediate, et sine ulla mora recedas, et exeas a corpore istius creaturae Dei; nec amplius habeas potestatem nocendi ei intrinsece, vel extrinsece, vel quocunque

modo eam perturbandi. In Nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † sancti. Amen.

Post liberationem unacum liberato brevem gratiarum actionem deponat, jubeatque, ut in posterum sub protectione divina, absque diabolico timore, bonam et Christianam in Domino vitam ducat.

SECTIO IX.

OBSERVATIONES,

SEU

INSTRUCTIONES

DE MALEFICIIS.

I.

Quid, et quotuplex sit Maleficium.

Maleficium est vis nocendi aliis ex pacto, vel cooperatione daemonis. Aliud est amatorium, seu philtrum, cujus usus est ad carnalem amorem, vel odium excitandum, daemone, hominis phantasiam movente, nihil tamen agente in voluntatem. Aliud dicitur veneficium, quo alicui personae, vel ejus bonis damnum infertur (*a*).

Maleficii alia est divisio, in naturale, praeternatu-

rale, et mixtum. Naturale est, quod ex pacto cum daemone, vel hujus ope per applicationem rei naturaliter noxiae v. g. veneni est procuratum. Praeternaturale maleficium est, quod daemonis ope ita procuratur, ut simul daemon sit praesens homini maleficiato, et corpus ejusdem sive immediate per se ipsum, sive per commixtionem humorum mire torqueat, seu vexet. Mixtum dicitur maleficium, quod participat ex utroque.

(*a*) Circa maleficia aliqui errant per excessum, aliqui per defectum: hi contra communem Ecclesiae sensum, et praxin maleficia absolute negant, efficiuntque, ut negligantur remedia spiritualia cum ingenti vexatorum damno; illi autem qualescunque morbos naturales tam hominum, quam animalium passim, et absque sufficientibus signis habent pro maleficiis; unde fit, ut ex una parte communiter negligantur remedia naturalia, seu medicinae pro curatione morborum aptae, ex altero vero parte fiat abusus Exorcismorum contra institutionem, seu ordinationem mox dictae Ecclesiae.

II.

Signa Maleficiatorum.

Signa maleficiatorum saltem probabilia ex communi sensu DD. censentur esse sequentia, vel alia his similia, et quidem

Quoad *Aegrotos*, si magis horreant cibos appositos, in occulto benedictos, quam alios: si ad praesentiam Ss. Eucharistiae, vel Reliquiarum insolito percellantur horrore, praesertim si simul easdem aspicere nequeant: si vehementissima siti vel fame lupina vexentur, cibum tamen et potum, si afferatur, abhorreant, praesertim quando post varias ex ordinatione medicorum applicatas medicinas nullus sentitur effectus in isto, vel aliis

medico incognitis morbis: si ex ore eorundem exeant quasi infernales foetores sulphuris, picis, fuliginis, carbonum etc. si ex ventre illorum insoliti procedant clamores ranarum etc. Si vomitu ejiciant acus, cultros, clavos, vitra, aliaque similia; ubi tamen cavendum, ne forte circa tales fraus, vel simulatio intercedat (*b*).

Quoad *Infantes* signa intervenientis maleficii censentur esse, si per aliquot dies nihil omnino comedant, nec lac sugant sine alia praecedente causa: si saepius contremiscant, insomnes ducant totas noctes, flentes continuo absque eo, quod ab expertis aliqua hujus sciatur causa naturalis: si oculos habeant pavidos, ac specialiter Sacerdotes aspicere nolint: si nunquam possint lacte satiari, licet semper sugentes, praesertim quando inde macilentiores evadunt, licet alias nutrix sana existat: si absque alia cognita causa naturali subito expallescant, amissa faciei, et totius corporis constitutione: si circa renes nigri fiant, vel in pectore intumescant.

Quoad *Conjugatos* denique, probabiliter saltem, inferri poterit intervenisse maleficium, si maritus uxorem absentem vehementissime diligat, quam tamen praesentem summo prosequitur odio; si nec vir uxori, nec uxor viro appropinquare possit, quia videtur corpus aliquod praesens esse intermedium: si natura alias satis cupida, et robusta ex improviso ordinarie debilitetur, dum ipsamet tentatur copula: si uxor alias capax pro eo tempore, quo copula tentatur, subito ita constringatur, ut penetrari nequeat.

(*b*) Advertat hic Exorcista, non esse necessarium, ut omnia haec signa in aegrotis etc. inveniantur, sed sufficere, si aliqua pro diversitate morbi, vel maleficii concurrant, quae moralem aliquam certitudinem, vel magnam probabilitatem

dant; si porro omnibus rite perpensis signa maleficii sint, vel maneant dubia, antequam Exorcista progrediatur ad actualem Exorcizationem, excitata prius tam in se, quam in maleficiato firma spe, et fiducia, formabit praeceptum probativum, et lenitivum, quibus mediantibus verum, sicut necesse est, facile poterit cognoscere, ut supra dictum fuit de signis Obsessorum *Sect. 7. §. 4.*

Caeterum hic dicta de maleficiis proportionaliter etiam intelligenda sunt de aliis vexationibus daemonis, quae videlicet ex permissione divina ab ipso fiunt sine pacto explicito vel tacito cum hominibus maleficis.

III.

Curatio seu remedia Maleficiorum.

Remedia Maleficiorum alia sunt naturalia, alia supernaturalia, et alia moralia. Haec postrema sunt ea, quibus, si nullum novum maleficium adhibeatur, licite destruuntur signa magica v. g. ligaturae, nodi etc. Qua de re videri possunt Moralistae de signis Maleficiorum satis, superque agentes (*c*).

Remedia naturalia maleficiorum naturalium et mixtorum, qua naturalium, sunt medicinae, quae ordinarie a Medicis contra diversas aegritudines pro exigentia rerum praescribi solent, ac debent; quia vero diabolus, si Deus permittat, facile illarum vires debilitare et infringere, vel nova semper maleficia machinari potest, hujusmodi medicinae, seu remedia naturalia plerumque minus sunt efficacia; juvabit tamen illa, a Sacerdote antecedenter benedicta, experiri juxta praescriptum medicorum, seu quae ipsi magis congrua judicabunt.

Magis efficacia remedia maleficiorum tam praeternaturalium, quam naturalium et mixtorum sunt remedia

supernaturalia, seu spiritualia, qualia in particulari censentur esse Confessio sacramentalis peccatorum, sumptio sanctissimi Eucharistiae Sacramenti, signum sanctae Crucis, invocatio Ss. Nominis JEsu, Reliquiae Sanctorum, Agnus Dei, Cerei sacri, aqua, panis, et sal benedictum, aliaeque res similes juxta Ritum Ecclesiae benedictae, quae habent vim ex precibus ejusdem Ecclesiae ad avertendas daemonis infestationes, Oratio conjuncta jejunio, praecipue autem Exorcismi ab Ecclesia praescripti, seu adprobati (*d*).

His tamen Exorcismis conformiter dictis *cit. Sect. VII. §. 2.* tam ab Exorcista, quam a maleficiato (vel si adhuc fuerit infans, ab ejusdem parentibus) semper praemitti oportet fidem et fiduciam firmam, tanquam dispositiones seu conditiones absolute necessarias.

(*c*) Ex sententia plurium inquisitio in ejusmodi signa, eorumque physica destructio consultius negligitur, sufficitque, si daemon Exorcismis Ecclesiae compellatur, ut vel ipse destruat, vel per ea nocere desinat, quia haec signa non ex natura sua, sed solum ex operatione daemonis vim nocendi habent, illa autem sublata, signa ipsa manebunt innoxia.

(*d*) Si daemon vel sponte, vel coactus per Exorcismos, aut alia remedia ab infirmo totaliter recesserit, et aliquae reliquiae morbi naturalis remaneant, prout saepe contingere solet, per pharmaca naturalia, praevie benedicta, expellendae forent, et praemuniendus infirmus mediis spiritualibus contra nequitiam diabolicam, ut infra dicetur *Sect. ult. §. 1.*

SECTIO X.

BENEDICTIONES,

ET

EXORCISMI

CONTRA MALEFICIA.

NOTANDUM. *Ordo triplex exorcizandi Obsessos a daemonio supra positus Sect. VIII. servire quidem etiam poterit pro exorcizandis maleficiatis, vel alias vexatis, mutatis videlicet mutandis v. g.* exeatis *in* recedatis, *vel* vexare desinatis: ejicere *in* repellere, *vel* abigere *etc. ad usum tamen faciliorem hac Sectione ulterius subjunguntur propriae Benedictiones, et Exorcismi pro maleficiatis tam in genere, quam in specie.*

I.

BENEDICTIO, ET EXORCISMUS

MALEFICIATORUM IN GENERE.

Observatis iis, quae supra cit. Sect. VIII. et IX. jam dicta sunt, nominatim de signis maleficiatorum, de fide, et fiducia firma etc. Sacerdos indutus Superpelliceo, et Stola violacea, vel saltem Stola, primo aspergat male-

ficiatum, et adstantes aqua benedicta; deinde, si commode fieri possit, recitatis Litaniis omnium Sanctorum usque ad Agnus Dei *etc. inclusive, pergat dicendo:*

℣. Salvum fac servum tuum (ancillam tuam).
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Domine exaudi etc.
℣. Dominus vobiscum etc.

Oremus:

Domine JEsu Christe, Fili Dei vivi, qui dedisti Apostolis, et fidelibus tuis potestatem super omnia daemonia, et, ut languores curarent; te suppliciter exoramus: ut per merita, et intercessionem beatissimae Matris tuae, omniumque Sanctorum tuorum famulum istum (famulam istam) ab omni potestate satanae, et ministrorum ejus potenter eripere, atque ab omni aegritudine clementer liberare digneris.

Ne despicias, quaeso, Redemptor meus, me indignissimum Sacerdotem, Ministrum tuum, te humiliter adorantem, et devote invocantem; sed, sicut tradidisti mihi potestatem quotidie offerendi Deo Patri immaculatam hostiam sacratissimi Corporis, et Sanguinis tui, ita nunc tribue mihi potestatem contra nefarium inimicum; et reple impositionem manuum mearum omni Benedictione coelesti. Qui vivis, et regnas cum Deo Patre etc.

EXORCISMUS
super Maleficiatum.

Contra te maledicte daemon, rebellis Deo tuo, et Deo meo, constitutus sum ego N. Minister Christi, et Ecclesiae; ideo auctoritate mihi tradita a Deo, et ab Ecclesia in ordine Exorcistatus tibi praecipio in Nomine Domini nostri JEsu Christi, ut illico destruas omne maleficium sive in corpore, sive extra corpus fabricatum: eadem etiam auctoritate, et potestate in virtute Ss. Trinitatis, et in Nomine Domini nostri JEsu Christi tibi praecipio, ut illico exeas, fugias, et recedas cum omnibus tuis faecibus, et immunditiis, sine ullo nocumento creaturae inferendo: nec in posterum ullam habeas potestatem hanc Dei creaturam quocunque modo molestandi, vel maleficiis afficiendi: sic enim volo, sic jubeo ut Minister Christi et Ecclesiae, in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Finito Exorcismo tam proba liberationis, quam gratiarum actio fieri potest modo supra indicato Sect. VIII. §. 2. Quodsi tamen circumstantiae loci, vel temporis viam breviorem suadeant, potest Exorcista breviter super parte vexata, et maleficiata formando signum sanctae Crucis ✝ pronunciare praeceptum dicendo: Praecipio tibi daemon in Nomine Domini nostri

JEsu Christi, ut cum omnibus tuis maleficiis illico recedas, et fugias, in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Ultimo aspergat maleficiatum aqua benedicta dicendo: Per aspersionem pretiosissimi Sanguinis Domini nostri JEsu Christi, et per virtutem amarissimae Passionis, et mortis suae liberet te Dominus ab omni infestatione maligna, et praeservet te ab omni incantatione. In Nomine Patris † etc.

II.

BENEDICTIO, ET EXORCISMUS

PARVULORUM, SEU INFANTIUM MALEFICIATORUM.

Cum ex una parte parvuli ordinarie maleficiis afficiantur ob culpam parentum, vel aliorum, eorundem curam habentium, qui eos Deo commendare, atque signo S. Crucis munire negligunt: ex altera vero parte ad omne maleficium tollendum necessaria sit firma fides, et fiducia, cujus dicti parvuli ob defectum rationis incapaces sunt, praevie moneri, seu instrui debent parentes, ut corde contriti, vel confessi hujusmodi actus fidei, et fiduciae eliciant conformiter dictis Sect. VII. §. 10. Quo facto Sacerdos dicat sequentia:

℣. Adjutorium nostrum in Nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Domine exaudi etc. ℟. Et clamor etc.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum etc.

Oremus:

Domine JEsu Christe, qui parvulos ad te venientes complexans, manusque super illos imponens (*imponat manum super caput ejus*) bene†dicebas, dicens: Sinite parvulos venire ad me, et nolite prohibere eos, talium est enim regnum coelorum. Respice, quaesumus, ad hujus parvuli innocentiam, et ad parentum ejus devotionem, et clementer eum per ministerium meum bene†dicere, et in gratia tua confirmare digneris: ut ab insidiis diaboli liberatus in bono semper proficiat, teque Creatorem, et Redemptorem suum diligat, timeat, mandata tua custodiat, et ad finem optatum perveniat. Per te, Christe JEsu, Salvator mundi, qui vivis, et regnas etc.

Oremus:

Omnipotens sempiterne Deus, conserva puerum istum (puellam istam), et virtute Spiritus sancti vitam illius sanctifica, sanitatem confer, prospera tribue, pacem concede, atque ab omnibus humanis et diabolicis insidiis tua protectione defende. Angelus tuus sanctus ei in custodiam deputatus, illi bene†dicat, et Nomen sanctum tuum super eum jugiter invocetur,

crescat in multitudinem dierum, et ad gaudia Paradisi perveniat. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

EXORCISMUS.

In Nomine JEsu Christi praecipio tibi, maligne spiritus, qui in corpore istius prolis maleficium perfecisti; ut ab ea auferas omnem ligaturam, facturam, fascinationem, ac quodcunque malum, atque ab ea recedas, trahendo tecum omnes immunditias, molestiasque; nec amplius habeas potestatem ei unquam mala inferendi. Id praecipio tibi ut Minister Christi, et Ecclesiae suae sanctae, in Nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † sancti, Amen.

Dominus noster JEsus Christus † apud te sit, ut te defendat: intra te sit †, ut te conservet: super te sit †, ut te benedicat, qui cum Patre, et Spiritu sancto in unitate perfecta vivit et regnat in saecula saeculorum, Amen.

Et Benedictio Dei omnipotentis Patris †, et Filii †, et Spiritus † sancti, descendat super te, et maneat semper, Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

III.

BENEDICTIO, ET EXORCISMUS

CONJUGUM MALEFICIO IMPEDITORUM.

Contingit aliquando, ut conjuges, Deo ita permittente, eorumque libidinem, matrimonium praecedentem, vel in illo subsequentem vindicante, maleficio ab usu matrimonii impediantur.

Exorcista igitur hujusmodi conjugibus ante omnia suadebit, ut peracta peccatorum suorum Confessione, sacratissimum Christi corpus reverenter sumant, et exemplo Tobiae, et Sarae aliquot diebus a copula abstinentes, jejunio, et precibus, aliisque piis operibus, et eleemosynis se praeparent.

Deinde disponantur more consueto ad firmam spem, et fiduciam, quibus elicitis, dictisque, ut supra, Litaniis omnium Sanctorum, Sacerdos pergat in hunc, qui sequitur, modum.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum, et terram.
℣. Salvos fac servos tuos.
℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Mitte eis Domine auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Nihil proficiat inimicus in eis.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.
℣. Esto eis Domine turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.
℣. Domine exaudi etc. ℟. Et clamor etc.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum etc.

Oremus:

Domine JEsu Christe, Fili Dei vivi, qui in Paradiso terrestri matrimonium instituisti in officium; et postmodum pro nobis homo factus, et ex Virgine natus, etiam in Sacramentum; et tua praesentia, ac miraculorum tuorum primitiis dignanter illustrasti; quaesumus: ut per merita B. V. Mariae, Matris tuae, beatorum Apostolorum Petri, et Pauli, omniumque Sanctorum, et Sanctarum tuarum, hos conjuges Matrimonii Sacramento copulatos bene†dicere, et ab omni ligamento, fascinatione, et maleficio satanae, foecunditatem, et salutarem sobolis propagationem eis impertiendo, tua pietate liberare digneris. Qui cum Patre, et Spiritu sancto vivis, et regnas in saecula saeculorum, Amen.

Creator coeli, et terrae, qui primis parentibus matrimonii foedere sociatis dixit: Crescite, et multiplicamini, et replete terram; ille sua Benedictione adversus omnes diabolicas infestationes vos foecundet, atque multiplicet, et Christianae sobolis salutarem propagationem misericorditer vobis concedat. In Nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † sancti, Amen.

EXORCISMUS AD MALEFICIUM
in matrimonio factum destruendum.

Ego N. ut Minister Christi et Ecclesiae, auctoritate mihi tradita a Deo, et ab Ecclesia in ordine Exorcistatus venio contra te maledicte daemon, spiritus immunde, qui dereliquisti Deum factorem tuum, et oblitus es Domini Creatoris tui, qui usum Sacramenti Matrimonii a Christo instituti ad peccata carnalia evitanda, ad conservationem reipublicae Christianae, ad multiplicationem naturae humanae, et ad novos milites in Ecclesia Dei procurandos, impedire praesumis; et in Nomine Domini nostri JEsu Christi praecipio tibi, ut statim sine ulla mora destruas omne, quod perfecisti maleficium in hac creatura Dei, atque totaliter recedas ab ea; nec amplius potestatem habeas illudendi ei, aut perturbandi sensus ejus sive externos, sive internos; vel in ea causandi odium, abominationem adversus alterum conjugem, aut ipsum impediendi, quin possit uti matrimonio suo ad generandam, et enutriendam prolem gratam Deo, et hominibus (*si persona maleficiata sit uxor, dicat:* ad generandam, concipiendam, portandam, pariendam, et enutriendam prolem gratam Deo, et hominibus) sed longe ab ea fugias, et tecum trahas omnes foeces, immunditias, et omnes diabolicas infectiones, quas in corpus istud usque modo intulisti, ac tollas omnes

diabolicas colligationes, ac quascunque removeas noxas, ita ut creatura ista remaneat libera, et sana, ac si nullam molestiam diabolicam unquam in se ipsa sensisset: sic igitur, ut Minister Christi, et Ecclesiae, tibi praecipio immunde spiritus, ut exeas, et recedas, in Nomine † Patris, et † Filii, et † Spiritus sancti. Amen.

Deinde benèdicens utrique subjicit:

Creator coeli et terrae, qui primis parentibus matrimonii foedere sociatis dixit: Crescite, et multiplicamini, et replete terram: ille sua vos Benedictione adversus omnes diaboli infestationes foecundet, atque multiplicet: et Christianae sobolis salutarem propagationem misericorditer vobis concedat in Nomine † Patris, et † Filii, et † Spiritus sancti. Amen.

Aspergat pariter utrumque aqua benedicta, dicens: Benedicat vos omnipotens Deus Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Amen.

NOTANDUM. *Cum teste experientia in thalamo vel toro conjugali saepius abscondita lateant signa maleficii, juvabit eundem benedicere, adjuncto Exorcismo eum in finem, ut destruantur signa maleficii, et si daemon ibidem inhabitet, stationem suam illico deserat, nec imposterum ullam habeat potestatem sive conjugibus, sive aliis quibuscunque aliquod inferendi nocumentum.*

BENEDICTIO THALAMI.

℣. Adjutorium nostrum etc. ℟. Qui fecit etc.
℟. Domine exaudi etc. ℟. Et clamor etc.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Benedic † Domine thalamum hunc, ut omnes habitantes in eo, in tua pace consistant, et senescant, et multiplicenter in longitudinem dierum cum incolumitate mentis, et corporis, et ad regna coelorum perveniant, per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus:

Creator et Conservator humani generis, Dator gratiae spiritualis, Elargitor aeternae salutis, tu Domine emitte Benedictionem tuam super hunc thalamum et lectum, ut quicunque in eo requiescet, in virtute coelestis defensionis ad vitam aeternam proficiat, et a suis doloribus et languoribus, omnibusque insidiis et machinationibus diaboli et ministrorum ejus liberetur, per Christum Dominum nostrum. Amen.

EXORCISMUS.

Contra te maledicte daemon, vel si forte plures sitis, contra vos spiritus immundi, et

apostatici constitutus sum a Deo ego N. Minister Christi, et Ecclesiae. Quapropter potestate mihi a Deo et ab Ecclesia in ordine Exorcistatus tradita praecipio vobis in Nomine Domini nostri JEsu Christi, ut si forte in hoc loco vel lecto aliqua fabricastis, et etiamnum conservatis maleficia, illico destruatis, et ad nihilum redigatis. Eadem authoritate vobis praecipio in Nomine Domini nostri JEsu Christi, ut totaliter a lecto et loco isto recedatis, et fugiatis, nec imposterum ullam habeatis potestatem conjuges in hoc thalamo commorantes quocunque modo molestandi, vel a conjugio impediendi: sic enim vobis praecipio, ut Minister Christi, et Ecclesiae, in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

IV.

BENEDICTIO, ET EXORCISMUS
DOMUS A MALIS SPIRITIBUS VEXATAE.

Inprimis Sacerdos perpendat omnes circumstantias loci, temporis, personarum etc. accurate examinando, num adsint vera spectra, vel num potius sit mera apprehensio, vanusque timor causatus e. g. ex strepitu felium, aliorumve animalium. Item attendat, ne forsan lateat palliata fraus, et malitia hominum, sive domesticorum, sive exterorum, hac occasione alios malos fines suos facilius exequi intendentium.

BENEDICTIO THALAMI.

℣. Adjutorium nostrum etc. ℟. Qui fecit etc.
℟. Domine exaudi etc. ℟. Et clamor etc.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Benedic † Domine thalamum hunc, ut omnes habitantes in eo, in tua pace consistant, et senescant, et multiplicenter in longitudinem dierum cum incolumitate mentis, et corporis, et ad regna coelorum perveniant, per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus:

Creator et Conservator humani generis, Dator gratiae spiritualis, Elargitor aeternae salutis, tu Domine emitte Benedictionem tuam super hunc thalamum et lectum, ut quicunque in eo requiescet, in virtute coelestis defensionis ad vitam aeternam proficiat, et a suis doloribus et languoribus, omnibusque insidiis et machinationibus diaboli et ministrorum ejus liberetur, per Christum Dominum nostrum. Amen.

EXORCISMUS.

Contra te maledicte daemon, vel si forte plures sitis, contra vos spiritus immundi, et

apostatici constitutus sum a Deo ego N. Minister Christi, et Ecclesiae. Quapropter potestate mihi a Deo et ab Ecclesia in ordine Exorcistatus tradita praecipio vobis in Nomine Domini nostri JEsu Christi, ut si forte in hoc loco vel lecto aliqua fabricastis, et etiamnum conservatis maleficia, illico destruatis, et ad nihilum redigatis. Eadem authoritate vobis praecipio in Nomine Domini nostri JEsu Christi, ut totaliter a lecto et loco isto recedatis, et fugiatis, nec imposterum ullam habeatis potestatem conjuges in hoc thalamo commorantes quocunque modo molestandi, vel a conjugio impediendi: sic enim vobis praecipio, ut Minister Christi, et Ecclesiae, in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

IV.

BENEDICTIO, ET EXORCISMUS

DOMUS A MALIS SPIRITIBUS VEXATAE.

Inprimis Sacerdos perpendat omnes circumstantias loci, temporis, personarum etc. accurate examinando, num adsint vera spectra, vel num potius sit mera apprehensio, vanusque timor causatus e. g. ex strepitu felium, aliorumve animalium. Item attendat, ne forsan lateat palliata fraus, et malitia hominum, sive domesticorum, sive exterorum, hac occasione alios malos fines suos facilius exequi intendentium.

Quodsi omnibus rite perpensis (adhibitis etiam, si opus esse videatur, praeceptis probativo, et lenitivo), deprehenderit, vexationem domus hic et nunc non a causis naturalibus, sed a malis spiritibus provenire, moneantur omnes domum inhabitantes, ut praeviis jejunio, eleemosynis, et Confessione peccatorum ad sacram Eucharistiam accedant; ipse etiam Sacerdos ad hoc officium exequendum jejunio, Sacrificio Missae, aliisque piis operibus se praeparet.

His observatis superpelliceo, et Stola violacei coloris indutus ingrediatur locum domus principalem, vel vexatum, ac ibidem omnes habitatores ad actus fidei, et fiduciae in Deum eliciendos efficacibus verbis adhortetur; deinde coram Crucifixi imagine inter candelas benedictas accensas exposita recitet Litanias omnium Sanctorum usque ad Preces exclusive, sequentia subjungendo:

℣. Adjutorium nostrum etc. ℟. Qui fecit etc.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Omnipotens sempiterne Deus, qui Sacerdotibus tuis prae caeteris tantam gratiam contulisti, ut, quidquid in tuo Nomine digne, perfecteque ab iis agitur, a te fieri credatur; quaesumus immensam clementiam tuam, ut, quod modo visitaturi sumus, visites, et quidquid be-

nedicturi sumus, bene†dicas: et ad ea, quae acturi sumus, dexteram tuae potentiae extendas: sintque ad nostrae humilitatis ingressum et introitum, Sanctorum tuorum meritis fuga daemonum et Angeli pacis ingressus, per Christum Dominum nostrum. Amen.

Sacerdos deinde incipit Psalmum gradualem: Ad Dominum cum tribularer. *Qui cum reliquis quatuor primis, videl.* Levavi: Laetatus sum: Ad te levavi: Nisi quia Dominus: *recitantur a Clericis praesentibus alternatim, vel iis deficientibus a Sacerdote cum* Gloria Patri. *In fine cujuslibet Psalmi. Interim Sacerdos illum, et alia vicina loca domus aqua benedicta continuo aspergit, in fine Psalmorum dicens:* Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster *secreto.* ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Nihil proficiat inimicus in nobis. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis. ℣. Domine exaudi Orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Domum tuam, Domine, clementer ingredere, et in tuorum tibi cordibus fidelium perpetuam construe mansionem: et praesta, ut in hac domo nulla malignorum spirituum dominetur

nequitia. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde in eodem vel alio loco vexato, seu principali domus dicantur modo supra notato alii quinque Psalmi graduales: Qui confidunt in Domino; In convertendo; Nisi Dominus; Beati omnes; Saepe expugnaverunt. *Sacerdote, ut prius, aquam lustralem aspergente: quibus finitis dicitur:* Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster etc. *secreto.* ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Domum tuam, Domine, decet Sanctitudo. ℟. In longitudinem dierum. ℣. Domine exaudi Orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Omnipotens sempiterne Deus, qui in omni loco dominationis tuae totus assistis, totus operaris: adesto supplicationibus nostris, ut hujus domus aedificatae sis protector, et nulla hic nequitia contrariae potestatis obsistat; sed virtute Spiritus sancti, et beatae Mariae Virginis intercessione fiat tibi hic purum servitium, et devota libertas existat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Rursum in eodem vel alio loco domus, dicantur reliqui quinque Psalmi graduales,

videl. De profundis; Domine non est; Memento Domine; Ecce quam bonum; Ecce nunc. *Sacerdote iterum continuo aquam benedictam aspergente; Psalmis finitis dicit Sacerdos:* Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster etc. *secreto.* ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Non accedet ad te malum. ℟. Et flagellum non appropinguabit tabernaculo tuo. ℣. Domine exaudi Orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Deus, qui in omni loco dominationis tuae mirabiliter assistis, exaudi nos, quaesumus, ut inviolabilis hujus domus permaneat Benedictio, et beneficia tui muneris universitas, quae supplicat, mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus:

Domine JEsu Christe, Sanctificator universae creaturae, qui sanctis Apostolis tuis dedisti potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones: qui inter caetera etiam mirabilium tuorum opera dignatus es docere, daemones effugare, cujus virtute victus, tanquam fulgur de coelo satanas cecidit: tuum Nomen cum pavore,

et tremore supplices deprecamur, ut nobis indignissimis famulis tuis, data venia peccatorum, confidentiam et robur donare digneris, ut ab hac domo infernalis draconis insultus brachii tui muniti potentia, fideliter et securi propulsemus: te praestante eodem Christo JEsu Domino nostro, qui cum Deo Patre, et Spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Postea in eodem, vel alio principaliori loco domus legat sequens Evangelium.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

℣. Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore: Ingressus JEsus perambulabat Jericho. Et ecce vir nomine Zachaeus: et hic princeps erat Publicanorum, et ipse dives. Et quaerebat videre JEsum, quis esset: et non poterat prae turba, quia statura pusillus erat. Et praecurrens, ascendit in arborem sycomorum, ut videret eum: quia inde erat transiturus. Et cum venisset ad locum, suspiciens JEsus vidit illum, et dixit ad eum: Zachaee festinans descende: quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit, et excepit illum gaudens. Et cum viderent omnes, mur-

murabant, dicentes, quod ad hominem peccatorem divertisset; stans autem Zachaeus, dixit ad JEsum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: et siquid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Ait JEsus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est; eo quod et ipse sit filius Abrahae: venit enim filius hominis quaerere, et salvum facere, quod perierat. ℟. Laus tibi Christe.

Tum imponens incensum in thuribulum benedicit, dicens: Ab illo benedicaris †, in cujus honorem cremaberis.

Postea incensat principaliora loca domus, dicens: Incensum istud a te benedictum ascendat ad te, Domine, et descendat super nos misericordia tua.

Finita incensatione, reversus in eundem primarium locum, dicit: ℣. Domine exaudi Orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Visita, quaesumus Domine, habitationem istam, et omnes insidias inimici ab ea longe repelle: Angeli tui sancti habitent in ea, qui eam in pace custodiant, et Bene†dictio tua sit super eam semper. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

EXORCISMUS.

Contra vos spiritus apostaticos, rebelles Deo vestro, osores hominum, perturbatores pacis, plenos omni dolo, et fallacia, ego N. constitutus sum Minister Christi, et Ecclesiae; ideo potestate, et authoritate, quam accepi in ordine Exorcistatus, vobis in Nomine Domini JEsu Christi praecipio, ut illico, et sine ulla mora ab hoc loco, ejusque incolis recedatis, neque habeatis imposterum ullam potestatem habitandi, discurrendi, vel quemcunque tumultum, aut rumorem excitandi in eo, vel ejus habitatores divexandi, aut quocunque modo inquietandi, vel perturbandi, sive de die, sive de nocte, vel eis apparendi sub quacunque forma, vel figura, nec voces formandi, aut quidquid aliud operandi. Exite ergo, ac fugite spiritus maledicti; sic enim praecipio vobis in Nomine JEsu Christi; sic jubeo ut Minister Christi, et Ecclesiae, in Nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † sancti. Amen.

EXORCISMUS BREVIOR.

In Nomine JEsu Christi, ego N. ut ejus Minister, et servus, licet indignus, impero tibi, et vobis, execrandi daemones, ut statim ex hac domo discedatis, nec ad illam molestandam amplius redeatis: in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, Amen.

Finito Exorcismo tam proba liberationis, quam gratiarum actio hic pariter fieri potest modo supra indicato Sect. VIII. §. 2.

In fine Sacerdos benedicit domum, et habitantes in ea, dicens aspergendo aquam benedictam:

Pax et Benedictio Dei omnipotentis, Patris †, et Filii, et Spiritus sancti, descendat super hanc domum, et omnes habitantes in ea, et maneat semper. ℟. Amen.

Possunt etiam in cubiculis domus hinc inde appendi Agni Dei, rami palmarum, cerei benedicti etc.

NOTANDUM. *Ne forte aliquando mali spiritus domum vexantes habeantur pro animabus damnatis, vel pro animabus in purgatorio detentis, hic advertat Sacerdos, animas damnatas ex communi DD. sententia nunquam, vel vix unquam comparere: animas vero in purgatorio, si tamen compareant, communiter statim respondere interroganti eas, suamque necessitatem exponere, nec amplius redire, nisi forte una adhuc vice, ut gratias agant de subsidio illis per sacras preces delato; multoque minus redire ad molestiam afferendam, et perturbandos habitatores.* Del Rio lib. 2. disq. mag. q. 26. sect. 3.

V.

BENEDICTIO, ET EXORCISMUS ANIMALIUM MALEFICIATORUM.

Si animalia aegrotare, seu vexari contingat, Sacerdos illorum morbos, seu vexationes non statim vel passim sine sufficienti signo habeat pro maleficiis, neque afflictos, hoc opinantes, in illa mox opinione relinquat, aut confirmet; multo minus aliis sive notis, sive ignotis imputet, aut imputari permittat, quin potius in casu, quo etiam verum maleficium, vel vexationem diabolicam adesse deprehendit, sinistras suspiciones, ad quas ut plurimum homines plebei valde proclives esse solent, personis vexatis vel damnificatis adimere studeat, remonstrando, diabolum ex se satis cupidum esse ad hominibus nocendum, quoties ac quacunque via ex permissione Dei id facere possit, quin ad hoc opera vel invocatione maleficorum hominum provocetur.

Si vero vexati interdum praetendant, se hanc vel illam personam hoc vel illud facientem, ex quo maleficium provenisse autumant, vidisse: doceantur, versutissimum diabolum plerumque solere hominum phantasiae et oculis illudere, exhibendo aliquam personam in specie, quatenus innocentis famae nocere possit, simul autem in mentibus sic illusorum peccaminosas suspiciones et temeraria judicia excitet.

Ante omnia igitur attendat, an non forte animalia ex causis naturalibus aegrotent; v. g. ex devoratis araneis pabulo se ingerentibus, aut ex aliorum venenatorum animalculorum morsu, ex ipso pabulo, vel ex aëre prae stabulorum immunditia vitiato etc. etc.

Si porro deficiente causa naturali sufficiens maleficii signum habeatur, v. g. ad praeceptum Exorcistae, vel applicationem rerum benedictarum etc. in ordine ad tollendum hoc maleficium sequentia servanda sunt.

Paterfamilias, aut illi, sub quorum dominio vel cura constituta sunt animalia, moneantur, ut firmam fidem, ac fiduciam in Deum concipiant; et quia haec mala ab ipso saepius in poenam peccatorum permittuntur, eadem corde contrito, vel etiam juncta Confessione defleant.

Deinde Sacerdos ipsum stabulum, et animalia aqua benedicta aspergat, ac demum, si commode possit, recitatis Litaniis omnium Sanctorum, ut supra, pergat dicendo:

℣. Adjutorium nostrum etc. ℟. Qui fecit etc.

℣. Domine exaudi etc. ℟. Et clamor etc.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Omnipotens sempiterne Deus, qui ab origine mundi creans hominem ad imaginem, et

similitudinem tuam ad ipsius usum et levamen fecisti etiam animam viventem super terram in genere suo: jumenta, equos, oves, et boves, caeteraque animalia et bestias terrae juxta species suas: te humiliter deprecamur, ut hoc animal (*vel* animalia) liberare digneris, a quocunque maleficio, ligatura, signatura, infestatione daemonum, ac ministrorum ejus, ac qualibet lue, peste ac morbo contagioso, ut tradita ei (*vel* eis) sanitate deservire possit (*vel* possint) ad usum Domini sui, qui in Ecclesia tua gratiarum tibi referat actiones. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

EXORCISMUS AD DAEMONES
ab animalibus expellendos.

Ego N. ut Minister Christi, et Ecclesiae, contra vos, spiritus maligni, qui vestris maleficiis has bestias, et ad usum istius hominis animalia spectantia infestatis, venio: et in Nomine JEsu praecipio vobis, ut statim exeatis ab hisce animalibus sub dominio, vel cura istius hominis constitutis, et a quibuscunque rebus ad illum pertinentibus ac totaliter recedatis a loco isto, ac destruatis omne, quod perfecistis maleficium: nec amplius potestatem habeatis nocendi eis, ac vexandi ea sive intrinsece, sive extrinsece: nec apparendi eis sub quacunque forma, vel figura: nec impediendi eorum operationes na-

turales, ita ut libere et sine omni molestia, vel retardatione eorum Dominus vel custos eis uti possit, quandocunque opus fuerit. Fugite ergo, ac recedite spiritus maledicti; quia sic praecipio vobis, ut Minister Christi, et Ecclesiae. In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Postremo stabulum cum animalibus iterum aspergens, dicat: Et Benedictio Dei omnipotentis Patris †, et Filii, et Spiritus sancti, descendat super hoc stabulum, et pecora, et maneat semper. Amen.

Caeterum praemuniat stabulum rebus benedictis, ne daemon imposterum laedere valeat.

NOTANDUM. *Ubi habentur artis periti, ipsis relinquatur cura medicinarum pro morbis naturalibus animalium, quas tumen medicinas Sacerdos utiliter poterit benedicere; in defectu autem hujusmodi peritorum, charitas proximi exigit, ut etiam Sacerdos, si forte medicinas usu probatas ad manus habeat, easdem antecedenter benedictas afflictis communicet.*

VI.

BENEDICTIO, ET EXORCISMUS
LACTICINIORUM etc. MALEFICIATORUM.

Quando lac, butyrum etc. maleficiata videntur, observatis simili fere modo iis, quae §. praecedente jam dicta sunt, sequens Benedictio, et Exorcismus deservire poterit.

℟. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Omnipotens, et misericors Deus, qui necessitatem humani generis praevidens, clementer adminicula temporalia contulisti, te humiliter imploramus, ut † benedicere digneris hoc lac una cum vase lactario, ut quod tua nobis misericordia pie contulit, diabolica malitia non depereat, per Christum Dominum nostrum. Amen.

EXORCISMUS
AD DESTRUENDUM MALEFICIUM
impedimenti butyrizationes.

Ego N. ut Minister Christi, et Ecclesiae in Nomine Domini nostri JEsu Christi, tibi daemon (*vel* si plures sitis) vobis daemonibus, qui nefandis maleficiis vestris lac corrumpere, atque butyrum efficiendum impedire praesumpsistis, vobis (inquam) praecipio in virtute Ss. Trinitatis, et in Nomine Domini nostri JEsu

Christi, ut illico omne maleficium tollatis, et destruatis, atque totaliter recedatis, ita, ut nullam imposterum potestatem habeatis lac quomodolibet corrumpendi, vel butyrum faciendum impediendi: sic enim volo, sic jubeo ut Minister Christi, et Ecclesiae, in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, Amen.

Denique surgens aspergat aqua benedicta, dicens: Benedictio Dei omnipotentis † Patris, et † Filii, et † Spiritus sancti, descendat super te, et maneat semper. Amen.

Moneat Sacerdos in lacticiniis operam praestantes, ut dum ad opus lactarium se parant, in se excitent fiduciam in Deum, recitentque attente et religiose Orationem Dominicam, et Salutationem angelicam, cum symbolo fidei.

Insuper eosdem instruat, ut muniant se et opus suum signaculo sanctae Crucis, aspergant aqua benedicta, et ipsis lacticiniis imponant aliquid salis benedicti, accendant Cereum benedictum etc.

NOTANDUM. *Ex eo, quod vaccae non reddant lac, nisi sanguinolentum, vel si lac nequeat coagulari in butyrum, nec statim, nec semper inferendum esse maleficium, quia sanguineus lactis color plerumque naturalis effectus est causae naturalis v. g. inflammationis uberum, vel etiam, probabiliter saltem, quarun-*

dam herbarum, quibus tamen naturali stomachi calore consumptis hoc ipso cessabit malum. Aliae causae, et remedia naturalia lactis sanguinolenti videri possunt in libris medicis.

Quoad alteram molestiam curandum est, ut flos lactis, sive cremor a solis, vel fornacis calore bene custodiatur, et quantum fieri potest, in loco magis temperato asservetur; si locus desit, cremori nonnihil calidiori frigidus misceatur, vel frigidiori lac in suo naturali de vacca calore adjungatur, statimque imaginarium maleficium cessabit.

ALIA BENEDICTIO, ET EXORCISMUS
CONTRA VISIBILEM LACTIS, BUTYRI,
vel aliarum rerum per incantationes ablationem.

℣. Adjutorium nostrum etc. *ut supra.*

Oremus:

Omnipotens sempiterne Deus, qui ad servandam inter homines pacem, furtum facere, et rem proximi concupiscere prohibuisti; obsecramus clementiam tuam, ut omnes, qui quod injuste concupiscunt, daemonis adjutorio proximis suis auferre nituntur, dexterae tuae virtute coërceas, et hisce famulis tuis, qui concessis a te vitae suae subsidiis ad honorem tuum frui desiderant, sanctorum Angelorum concede prae-

sidium, qui daemonum potestate repressa, maleficos injustorum hominum conatus, quos eorum adjumento perficiendos existimant, irritos reddant, et frustraneos. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

EXORCISMUS.

Exorcizo te, immunde spiritus, qui ad turbandam Christianorum quietem, et ad injurias in bonis temporalibus inferendas hominibus tua fraude deceptis auxilium praebes, per Judicem vivorum et mortuorum, ut ab hac domo, et familia, omnibusque ad eam pertinentibus recedas, nec quidquam eorum, quae ad illam spectant, attingere, vel auferre praesumas.

Exorcizo te per aeternam Dei justitiam, ex qua lex illa, qua suum cuique dandum esse statuitur, emanavit, ut omnibus promissionibus, pactis, artibus, signisque, quibus te quasi astrictum, et obligatum simulas, dissipatis, divinae severitatis in te exercendae formidine, omnia, quae hujus familiae sunt, salva, et intacta dimittas; recede ergo hinc divinae legis Transgressor, hominumque perturbator, et Angelis sanctis, quorum tutelae familia ista commissa est, te propellentibus, fuge, nec eam in sua quiete ac bonis laedere, aut ulterius molestare praesumas, invocato contra tuam malitiam Nomine Domini nostri JEsu Christi, qui venturus

est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. Amen.

Aspergat deinde aquam benedictam.

SECTIO ULTIMA.

DE REMEDIIS ADHIBENDIS

POST LIBERATIONEM ENERGUMENI, VEL MALEFICIATI.

Ut Energumenus, vel Maleficiatus post suam liberationem in futurum praeservetur, de sequentibus praecipue instruendus est, et quidem

Primo, ut Deo quotidie pro beneficio liberationis ex toto corde gratias agat, studeatque saepius firmam fidem, et fiduciam erga ipsum elicere.

Secundo, ut si forte iterum aliqualiter tentari, seu infestari videatur, diabolum tentantem mox per invocationem Ss. Nominis JEsu, imo etiam per praeceptum in hoc Nomine factum repellat dicens: *In Nomine JEsu Christi tibi praecipio daemon, ut illico recedas, et me ab omni vexatione liberrimum relinquas.*

Tertio, ut Reliquias Sanctorum, aliasque res benedictas secum ferat, uti principaliter aestimantur cerae papales, vulgo *Agnus Dei.*

Quarto, ut omni studio, omnique conatu conscientiam mundam conservet a peccatis, praesertim mortali-

bus, nominatim in illa materia, propter quam Deus justo suo judicio daemoni forsan antea vexationem permisit.

Quinto denique, ut in Orationibus suis donum praeservationis a Deo saepius confidenter petat, Beatissimam etiam Virginem, Angelum suum tutelarem, aliosque Patronos hunc in finem devote imploret.

NOTANDUM. Si semel liberatus iterato possideatur, seu vexetur, eodem respective modo cum tali procedat Sacerdos, sicut cum vexato, nunquam liberato; ante omnia tamen persuaderi debet, possessionem novam omnino esse certam, sed facilem denuo divina favente gratia expulsionem, modo omnia illa exacte servaverit, circa quae jam antecedenter accepit instructionem.

Si necdum certo constet de nova possessione, sed de illa dubitetur, elicitis praevie actibus firmae fidei, et fiduciae probatio fiat more solito; postea, nisi certum diabolicae possessionis, seu maleficii signum habeatur, liberatus, falsa persuasione ab eo remota, pro hic, et nunc cum sacra Benedictione dimittatur.

APPENDIX,

COMPLECTENS

LITANIAS MAJORES,

ITEM

INITIA SS. QUATUOR EVANGELIORUM,

QUAE IN BENEDICTIONIBUS ALIQUANDO DICI, SEU CANTARI SOLENT.

Litaniae de omnibus Sanctis.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de coelis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, Ora pro nobis.
Sancta Virgo Virginum, Ora pro nobis.
Sancte Michael, Ora pro nobis.
Sancte Gabriel, Ora pro nobis.
Sancte Raphael, Ora pro nobis.
Omnes sancti Angeli, et Archangeli, Orate pro nobis.
Omnes sancti beatorum Spirituum Ordines, Orate pro nobis.

Sancte Joannes Baptista, Ora pro nobis.
Sancte Joseph, Ora pro nobis.
Omnes sancti Patriarchae, et Prophetae, Orate pro nobis.
Sancte Petre, Ora pro nobis.
Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Jacobe,
Sancte Joannes,
Sancte Thoma,
Sancte Jacobe,
Sancte Philippe,
Sancte Bartholomæe,
Sancte Matthæe,
Sancte Simon,
Sancte Thaddæe,
Sancte Mathia,
Sancte Barnaba,
Sancte Luca,
Sancte Marce, } Ora pro nobis.
Omnes sancti Apostoli, et Evangelistae, Orate pro nobis.
Omnes sancti Discipuli Domini, Orate pro nobis.
Omnes sancti Innocentes, Orate pro nobis.
Sancte Stephane, Ora pro nobis.
Sancte Laurenti, Ora pro nobis.
Sancte Vincenti, Ora pro nobis.
Sancti Fabiane, et Sebastiane, Orate pro nobis.
Sancti Joannes, et Paule, Orate pro nobis.

Sancti Cosma, et Damiane, Orate pro nobis.
Sancti Gervasi, et Protasi, Orate pro nobis.
Omnes sancti Martyres, Orate pro nobis.
Sancte Silvester,
Sancte Gregori,
Sancte Ambrosi,
Sancte Augustine,
Sancte Hieronyme,
Sancte Martine,
Sancte Nicolae,
} Ora pro nobis.
Omnes sancti Pontifices, et Confessores, Orate pro nobis.
Omnes sancti Doctores, Orate pro nobis.
Sancte Antoni, Ora pro nobis.
Sancte Benedicte, Ora pro nobis.
Sancte Bernarde, Ora pro nobis.
Sancte Dominice, Ora pro nobis.
Sancte Francisce, Ora pro nobis.
Omnes sancti Sacerdotes, et Levitae, Orate pro nobis.
Omnes sancti Monachi, et Eremitae, Orate pro nobis.
Sancta Maria Magdalena,
Sancta Agatha,
Sancta Lucia,
Sancta Agnes,
Sancta Caecilia,
Sancta Catharina,
Sancta Anastasia,
} Ora pro nobis.

Omnes sanctae Virgines, et Viduae, Orate pro nobis.
Omnes Sancti, et Sanctae Dei, Intercedite pro nobis.
Propitius esto, Parce nobis Domine.
Propitius esto, Exaudi nos Domine.
Ab omni malo, Libera nos Domine.

Ab omni peccato,
Ab ira tua,
A subitanea, et improvisa morte,
Ab insidiis diaboli,
Ab ira, et odio, et omni mala voluntate,
A spiritu fornicationis,
A fulgure, et tempestate,
A morte perpetua,
Per mysterium sanctae Incarnationis tuae,
Per Adventum tuum,
Per Nativitatem tuam,
Per Baptismum, et sanctum Jejunium tuum,
Per Crucem, et Passionem tuam,
Per mortem, et sepulturam tuam,
Per sanctam Resurrectionem tuam,
Per admirabilem Ascensionem tuam,
Per adventum Spiritus sancti Paracliti,
In die Judicii,
} Libera nos Domine.

Peccatores, Te rogamus, audi nos.
Ut nobis parcas, Te rogamus, audi nos.
Ut nobis indulgeas, Te rogamus, audi nos.

Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris, Te rogamus, audi nos.
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere, et conservare digneris, Te rogamus, audi nos.
Ut domnum Apostolicum, et omnes Ecclesiasticos Ordines in sancta Religione conservare digneris,
Ut inimicos sanctae Ecclesiae humiliare digneris,
Ut Regibus, et Principibus Christianis pacem, et veram concordiam donare digneris,
Ut cuncto populo Christiano pacem, et unitatem largiri digneris,
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare, et conservare digneris,
Ut mentes nostras ad coelestia desideria erigas,
Ut omnibus Benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas,
Ut animas nostras, fratrum, propinquorum, et benefactorum nostrorum ab aeterna damnatione eripias,
Ut fructus terrae dare, et conservare digneris,
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris,
Ut nos exaudire digneris,
Te rogamus, audi nos.
Fili Dei,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.

Christe audi nos. Christe exaudi nos. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster. *secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

Psalmus 69.

Deus in adjutorium meum intende; * Domine ad adjuvandum me festina.

Confundantur, et revereantur, * qui quaerunt animam meam.

Avertantur retrorsum, et erubescant, * qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes, * qui dicunt mihi: Euge! euge!

Exultent, et laetentur in te omnes, qui quaerunt te, et dicant semper; * Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus, et pauper sum: * Deus adjuva me.

Adjutor meus, et liberator meus es tu; * Domine ne moreris.

Gloria Patri etc.

℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus sperantes in te. ℣. Esto nobis Domine turris

fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Nihil proficiat inimicus in nobis. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis. ℣. Domine non secundum peccata nostra facias nobis. ℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. ℣. Oremus pro Pontifice nostro N. ℟. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus. ℣. Oremus pro Benefactoribus nostris. ℟. Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter Nomen tuum vitam aeternam, Amen. ℣. Oremus pro fidelibus defunctis. ℟. Requiem aeternam dona eis Domine, et lux perpetua luceat eis. ℣. Requiescant in pace. ℟. Amen. ℣. Pro fratribus nostris absentibus. ℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te. ℣. Mitte eis Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eos. ℣. Domine exaudi Orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus:

Deus, cui proprium est misereri semper, et parcere: suscipe deprecationem nostram: ut nos, et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quaesumus, Domine, supplicum pre-

ces, et confitentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus, et pacem.

Ineffabilem nobis Domine misericordiam tuam clementer ostende; ut simul nos, et a peccatis omnibus exuas, et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris; preces populi tui supplicantis propitius respice, et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte.

Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro N. et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternae, ut te donante tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat.

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia, et justa sunt opera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

Ure igne sancti Spiritus renes nostros, et cor nostrum, Domine; ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur.

Actiones nostras, quaesumus, Domine, aspirando praeveni, et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio, et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur.

Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide, et opere futuros esse praenoscis; te supplices exoramus, ut, pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel praesens saeculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuae clementia, omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum etc.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo. ℣. Exaudiat nos omnipotens, et misericors Dominus. ℟. Amen. ℣. Et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

INITIA SS. IV. EVANGELIORUM.

EVANGELIUM PRIMUM.

Initium sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Liber generationis JEsu Christi filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac: Isaac autem genuit Jacob: Jacob autem genuit Judam,

et fratres ejus. Judas autem genuit Phares et Zaram de Thamar: Phares autem genuit Esron: Esron autem genuit Aram: Aram autem genuit Aminadab: Aminadab autem genuit Naason: Naason autem genuit Salmon: Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth: Obed autem genuit Jesse: Jesse autem genuit David Regem. David autem Rex genuit Salomonem ex ea, quae fuit Uriae: Salomon autem genuit Roboam: Roboam autem genuit Abiam: Abias autem genuit Asa: Asa autem genuit Josaphat. Josaphat autem genuit Joram: Joram autem genuit Oziam: Ozias autem genuit Joathan: Joathan autem genuit Achaz: Achaz autem genuit Ezechiam. Ezechias autem genuit Manassen: Manasses autem genuit Amon: Amon autem genuit Josiam: Josias autem genuit Jechoniam et Fratres ejus in transmigratione Babylonis. Et post transmigrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel: Salathiel autem genuit Zorobabel: Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim: Eliacim autem genuit Azor: Azor autem genuit Sadoch: Sadoch autem genuit Achim: Achim autem genuit Eliud: Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan: Mathan autem genuit Jacob: Jacob autem genuit Joseph Virum Mariae, de qua natus est JEsus, qui vocatur Christus.

EVANGELIUM SECUNDUM.

Initium sancti Evangelii secundum Marcum.

Initium Evangelii JEsu Christi Filii Dei, sicut scriptum est in Isaia Propheta: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto: parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. Fuit Joannes in deserto baptizans, et praedicans Baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum. Et egrediebatur ad eum omnis Judaeae regio, et Jerosolymitae universi, et baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata sua. Et erat Joannes vestitus pilis camelorum, et Zona pellicea circa lumbos ejus: et locustas, et mel sylvestre edebat. Et praedicabat dicens: veniet fortior me post me, cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus. Ego baptizavi vos aqua: ille vero baptizabit vos Spiritu sancto.

EVANGELIUM TERTIUM.

Initium sancti Evangelii secundum Lucam.

Fuit in diebus Herodis Regis Judaeae Sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia,

et uxor illius de filiabus Aaron, et nomen ejus Elisabeth. Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela. Et non erat illis filius, eoquod esset Elisabeth sterilis, et ambo processissent in diebus suis. Factum est autem, cum Sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suae ante Deum secundum consuetudinem Sacerdotii, sorte exiit, ut incensum poneret, ingressus in templum Domini. Et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi. Apparuit autem illi Angelus Domini, stans a dextris Altaris incensi. Et Zacharias turbatus est videns, et timor irruit super eum. Ait autem ad illum Angelus: ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua: et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis Nomen ejus Joannem, et erit gaudium tibi et exultatio, et multi in nativitate ejus gaudebunt. Erit enim magnus coram Domino, et vinum, et siceram non bibet: et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero Matris suae: et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum. Et ipse praecedet ante illum in spiritu et virtute Eliae, ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.

EVANGELIUM QUARTUM.

Initium sancti Evangelii secundum Joannem.

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum: et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in Nomine ejus. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. **ET VERBUM CARO FACTUM EST, ET HABITAVIT IN NOBIS.** Et vidimus gloriam ejus, gloriam, quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.

Impressum apud G. RUEMELINUM, STUTTGARTIAE.

EVANGELIUM QUARTUM.

Initium sancti Evangelii secundum Joannem.

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum: et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in Nomine ejus. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. **ET VERBUM CARO FACTUM EST, ET HABITAVIT IN NOBIS.** Et vidimus gloriam ejus, gloriam, quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.

Impressum apud G. RUEMELINUM, STUTTGARTIAE.